Werth, Alfredus
De Terentiani sermone
et aetate

DE TERENTIANI

ERMONE ET AETATE

SCRIPSIT

ALFREDUS WERTH

MMENTATIO EX SUPPLEMENTO VICESIMO TERTIO ANNALIUM PHILOLOGICORUM
SEORSUM EXPRESSA

LIPSIAE

IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI

MDCCCXCVI

DE TERENTIANI SERMONE ET AETATE

SCRIPSIT

ALFREDUS WERTH

---

(23)

COMMENTATIO EX SUPPLEMENTO VICESIMO TERTIO ANNALIUM PHILOLOGICORUM
SEORSUM EXPRESSA

LIPSIAE

IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI

MDCCCXCVI

PAGINARUM NUMERI SUNT SUPPLEMENTI VICESIMI TERTII ANNALIUM PHILOLOGICORUM

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEUBNERI

Praefatio.

Anno MDCCCLXXXXI universitatis Bonnensis amplissimus philosophorum ordo qui proximum litterarum certamen subituri essent philologi Terentiani Mauri aetatem accurata sermonis metrique observatione exquirere iussit, atque anni insequentis mense Augusto eius commentationis quam nunc in manibus habes scriptorem praemio donandum esse censuit. Neque tamen idem est libellus. Nonnulla enim postea addidi, plura, ne longior fieret dissertatio, nunc omisi, atque imprimis ea, quae ad aetatem scriptoris exquirendam minus valerent, ut indicem verborum memorabilium, qui plus tertiam commentationis partem complectebatur, et totam partem metricam.

Nam ratiocinationibus a re metrica petitis aetatem carminis Latini definire cum omnino tum in hac quaestione satis lubricum est, quoniam et carmina post Iuvenalem saeculis secundo et tertio facta magnam partem interierunt et ars Romanorum metrica iam multo ante exculta erat, ut ad priorum poetarum exempla plus minus se applicarent posteriores. Ea enim erat condicio poesis Romanae posterioribus temporibus, ut et antiquorum normae et licentiae recentiorum una eademque aetate et observarentur et neglegerentur, post versus semibarbaros exculti rursus expolitique paugerentur, certus autem progressus in versibus artificiose constituendis saepenumero conspici nequeat.

Neque vero quae de elisionibus aut de synizesi aut de syllabarum mensuris collegeram nunc addidi, cum etiam ex his ars magis quam aetas cognoscatur. Nam ne o quidem litterae finalis ex correptione, unico quod vocant documento firmo certoque ad circumscribendam scriptorum aetatem, aliud quicquam certe demonstratur nisi quod ostendi non opus erat: Terentianum Iuvenale esse posteriorem. Itaque de metris Terentiani hoc loco id tantum monere liceat neque metrorum artem neque mensuras syllabarum eas esse videri, ut Terentianus post M. Aurelium imperatorem libros composuisse censendus sit.

Index librorum.

In ipso libello quae opera saepius commemoranda erant plerumque auctorum nominibus indicare satis habui. Itaque ne quid desideretur, titulos addam.

M = Terentiani editio Mediolanensis.

Briss. = Brissaeus, Petr. = Petrecinus, quorum virorum notas integras Gaisford in Hephaestionis edit. vol. II recepit.

Sant. = Santen in editione Terentiani Traiecti ad Rhenum a. 1825 curata.

Lachm. = Lachmann, qui Terentianum a. 1836 edidit.

Keil = Keil in Gramm. Lat. vol. VI.

LM = Lucianus Mueller in septem de re metrica poetarum Latinorum libris.

Neue = Neue, Formenlehre der lateinischen Sprache, ed. II.

Draeg. = Draeger, Historische Syntax der lateinischen Sprache, ed. II.

Kuehner = Kuehner, Ausführliche Grammatik der lateinischen Sprache.

Iw. Mueller II = Iwanus Mueller, Handbuch der klassischen Altertumswissenschaft, vol. II, ed. II, quo in libro Schmalz syntaxim linguae Latinae tractavit.

Rebling = O. Rebling, Versuch einer Charakteristik der römischen Umgangssprache.

Hand = Ferd. Handii Tursellinus.

W. A. = Woelfflin, Archiv für latein. Lexicographie.

Sittl = Sittl, Die lokalen Verschiedenheiten der lateinischen Sprache mit besonderer Berücksichtigung des afrikanischen Lateins. (Eiusdem in Bursiani annalium vol. 68 (1891) disputationem expressis semper verbis signavi.)

Praun = I. Praun, Bemerkungen zur Syntax des Vitruv.

Eberhard = Ph. Eberhard, De Vitruvii genere dicendi partt. II.

Priebe = Priebe, De Frontonis imitatione prisci sermonis Latini.

Ebert = Ebert, De Frontonis syntaxi.

Gorges = Gorges, De quibusdam sermonis Gelliani proprietatibus.

Vogel = Vogel, De Auli Gellii copia verborum.

Kretschm. = H. Kretschmann, De latinitate L. Apulei Madaurensis.

Becker = H. Becker, Studia Apuleiana.

Piechotta = Piechotta, Curae Apuleianae.

Baur = A. Baur, Quaestiones Sammoniceae.

Kalb J. L. = Kalb, Das Juristenlatein.

Kalb R. J. = Kalb, Roms Juristen.

Langen = Langen, De praepositionum usu Tertullianeo.

Hense = Hense, De Iuba artigrapho (in Actorum societ. philol. Lipsiensis tomo IV).

Krebs = Krebs, Antibarbarus der lat. Sprache, ed. VI. cur. ab J. H. Schmalz.

Reliquos autem libros ut Pauckeri verborum thesauros, Roenschii librum qui inscribitur Itala und Vulgata, Rosii Anecdota graeca, ceteros satis aperte ut dubitatio moveri nequeat indicabo.

I.

DE TERENTIANI AETATE QVAE VIRI DOCTI ADHVC CONTENDERINT.

Terentiani[1]) de temporibus cum satis certum testimonium ad nos non sit perlatum[2]), sed quarto demum p. Chr. n. saeculo memoria eius inveniatur, quod viri docti inter se dissentiebant non mirum est. Neque enim inter vetustiores defuerunt qui, ut ait Gyraldus[3]), Terentianum *ea tempestate floruisse censerent, qua litterae in Africam migravissent, i. e. Apulei Tertulliani Cypriani temporibus,* neque qui futilibus nisi argumentis haud ita multo post Senecam philosophum aut ineunte saeculo secundo fuisse eum dicerent[4]). Hanc autem opinionem Lachmann, cum Terentianum *et vocabulis et particularum usu et ipsa vocabulorum collocatione ab illis felicioris aetatis poetis recedere* videret, refutavit, ipse cum Petronium vv. 2489 et 2852 commemoratum medio saeculo p. Chr. n. tertio fuisse opinaretur, Terentianum sub finem eius saeculi scripsisse contendit[5]). Quam Lachmanni sententiam praeter alios[6]) Keil, quamquam Petronium Neronis aequalem fuisse iam inter omnes constabat itaque hoc Lachmanni argumentum iam nullum erat, nihilo minus amplexus est, cum diceret[7]): *certum esse puto Terentianum saeculo tertio non*

---

1) Quamquam cognomina *Maurus* in octo, *Maura* in novem inscriptionibus CIL. vol. VIII inveniuntur, tamen Terentiano hoc cognomen non fuisse videtur. Nam cum antiqui scriptores multi Terentianum commemorent neque tamen quisquam praeter Augustinum ei *Maurum* cognomen det neque in M hoc legatur, vereor ne Augustinus versu 1971: *Maurus item quantos potui cognoscere Graios* in errorem adductus sit aut potius eius verbis aequales nostri. Neque enim alibi similes patriae significationes apud Augustinum desunt, ut civ. dei 8, 12 *Apuleius Afer,* ibid. 8, 14 *Apuleius Platonicus Madaurensis*, ep. 2 quaest. 6 *Apuleius Madaurensis vel Apollonius Tyaneus.* Neque vero Terentianus illo versu ludere videtur, ut simul et patriam et cognomen significet.

2) Inscriptionem CIL. VIII 8412: *Imp. Caes. Flavio Constantino .... Flavius Terentianus v. p. praeses provinciae Mauretaniae Sitif.....* et similem eiusdem viri 8932 initio saeculi quarti factas cum Terentiano metrico nihil commune habere neque 3880 aut eas, in quibus nomina *Bassinus* et *Novatus* leguntur, ad Terentiani filium atque generum referri posse facile apparet.

3) Cf. Sant. praef. p. V.

4) Ibid. p. III sqq.

5) Cf. Lachm. ad Terentiani edit. praef.

6) Cf. Herm. Wentzel, Symbolae criticae ad historiam scriptorum rei metricae Latinorum, Vratislaviae 1858 p. 26.

7) Gramm. Lat. VI 323.

fuisse superiorem. Nam ut novelli poetae quorum saepius mentionem fecit ad hoc tempus iure referuntur, ita neque genus dicendi quo ipse usus est antiquiorem aetatem admittit et varietas metrorum tum maxime probata fuit[1]).

Quorum ex sententia cum vulgaris opinio orta esset Terentianum scripsisse tertio saeculo exeunte, primus — si neglegimus Studerum[2]) — adversarius G. Schultz[3]) exstitit. Atque cum praecipue hanc ipsam poetarum novellorum commemorationem in usum suum converterit, de hoc virorum doctorum dissensu iam accuratius agendum est.

Illud igitur *novellus* his locis legitur:

1973 sqq. *nemo tamen culpet, si sumo exempla novella,*
nam et melius nostri servarunt metra minores:
Septimius, docuit quo ruris opuscula libro,
hoc genere assidue cecinit.

2240 sqq. *. . . . nam fere Graecis tenax*
cura est iambi vel novellis comicis
vel qui in vetusta praecluent comoedia.

2528 sqq. *videro si novelli*
versus erit poetae
lex tamen una metri est:
t i n c t u s c o l o r e n o c t i s ,[4])
d a b u n t m a l u m M e t e l l i —
I n a c h i a e p u e l l a e
s e u b o v i s i l l e c u s t o s .

Ac ne quid ad rem plane cognoscendam desit, reliquos versus, ex quibus quanto novitatis studio Terentiani aequales incensi fuerint apparet, iam hic addere liceat:

1992 sqq. *nam lyrici quotiens sua volunt*
carmina per varios dare sonos,
pluribus illa modis ita novant.

2398 sqq. *claudum trimetrum fecit aliter Hipponax —*
ad hunc modum quo claudicant et hi versus
. . . .
2403 *novitate ductus.*

Quibus ex locis Schultz haec fere colligit: in v. 2241 (*novellis comicis*) illo *novellus* quasi certo artis vocabulo Terentianum uti

1) An secundo saeculo non fuit? Cf. Apul. flor. 9, 37: *fateor uno chartario calamo me reficere poemata omnigenus apta virgae lyrae socco cothurno* . . ., omnino cf. Teuffel, Röm. Litt.[5] § 353.

2) Mus. Rhen. II 65 sq.

3) Herm. XXII 275 sqq.

4) Petronii versum atque insequentem versibus novelli poetae Terentianus opponit.

videri, ut etiam in vv. 1973 et 2528 proprium hoc verbo poetarum genus significari non temeraria sit sententia. Ab altera autem parte apud Diomedem Gr. L. I 514, 23 (postquam paulo ante Serenus, Terentiani aequalis [1]), commemoratus sit) et 516, 24 et 517, 3 terminum artis *neoterici* legi. Hos igitur, cum certus statusque sensus verbis insit, eosdem esse quos Terentianus *novellos* appellaverit [2]).

Sed cum haec probabilitate quadam non careant, quae de aetate poetarum novellorum Schultz contendit, iam non omnia probare possum. Nam quod Gellii locum XIII 27, 3 et Servii ad Aen. VIII 731 adnotationem e Probo sumptam ad eosdem refert et hoc argumento usus poetas novellos inde ab anno L. fere usque ad annum CL. fuisse contendit, recte a Leone Herm. XXIV 294 adn. 2 his verbis vituperatus est: *Die Stellen aus Probus*, inquit, *zu Vergil und Gellius beweisen freilich nichts; sie betreffen die* νεώτεροι *der Homerkritik, und so wird es zweifelhaft, ob Pomponius, Seneca und Petron zu den Neoterici gehören.* [3])

Sed disputationem suam Schultz ea re confirmari putat, quod Terentianus Annianum Gellii aequalem [4]) poetis novellis adnumeret. Huic enim illa *docta Falisca* a Terentiano v. 1998 commemorata contra Lachmannum Luc. Mueller in Mus. Rhen. XXV 337 sqq. accurata huius loci et versus 1816 interpretatione instituta iure attribuit et posteriorum de horum versuum auctore testimonia ut e Terentiano parum intellecto sumpta nihil valere ostendit. Atque quamquam Schultz praepropere contendit qui carmina novet eum

---

1) Cf. v. 1891: *Septimius qui scripsit opuscula nuper.*

2) Frontonis locum p. 153 N: *elocutio novella* Schultz neglexit.

3) Hoc enim Schultz contenderat. Sed Petronium a Terentiano non in eorum numero haberi iam e vv. 2528 sqq. apparere videtur, cf. adn. paulo supra ad v. 2531 datam. Atque etiam Pomponii aequales poetas veteres nominare videtur 1969 sq. Veniam enim petit, quod iam exempla novella adlaturus sit. Neque omnino per centum illos annos poesis ita constabat, ut uno nomine totum illud genus a Terentiano comprehendi posset. Itaque etiam hoc Schultzii dictum (l. c. p. 268): *Im letzten Vers werden Varro und Arbiter verbunden. Letzterer ist Vertreter der Neoterici* reiciendum est. Neque concedo ad Senecae metrorum anapaesticorum exemplar saec. II. poetas sua finxisse. Nam Senecae versus, quod non solum dactylos, sed etiam verba ipsa dactylica pro anapaestis posuit, a posteriorum poetarum *anapaesticis dulcibus metris* (cf. T. v. 1813) longe diversi sunt, quoniam hi arsim anapaesti — fortasse quod a versu heroico metrum anapaesticum derivabant — in duas breves dissolvere non solebant, id quod Senecae propter formam acatalectam versuum anapaesticorum difficilius erat. Itaque quae de imitatione Senecae Schultz refert vana esse et cum omnino illum terminum *poetae novelli* saec. II. fixum fuisse mihi non plane certum sit, cum Leone l. c. poetas a Terentiano *novellos* nominatos imperatore Hadriano non priores fuisse puto. Neque aliter Ribbeck, Gesch. d. röm. Dichtung III 321 sqq. iudicat.

4) Cf. Gell. XX 8: *Annianus poeta in fundo suo, quem in agro Falisco possidebat, agitare erat solitus vindemiam hilare atque amoeniter. Ad eos dies me et quosdam item alios familiares vocavit,* atque eiusdem VI 7 et IX 10 mentio fit.

esse poetam novellum, tamen Sereno nominato Terentianum his verbis:

1992 sqq. *nam lyrici quotiens sua volunt*
carmina per varios dare sonos,
pluribus illa modis ita novant

de aequalibus loqui ex toto loco apparet, itaque etiam Annianum non ita multo maiorem natu esse quam Terentianum.

Quod fortasse etiam hac re confirmatur, quod e vv. 1998 sqq.

talia docta Falisca legimus.
Nam tibi notius hoc genus erit,
carmine siquid ab hoc posuero

cognoscitur Terentiani aetate Anniani — si tamen recta est L. Muelleri disputatio — carmina lectitata et omnium in manibus fuisse. Quod secundo saeculo factum esse quam postea multo probabilius est. Nam certe Marius Victorinus, quamquam scribit: *quod genus metri Annianus Faliscum carmen inscribit,* cum versus: *quando flagella e. q. s.* Sereno attribuat, ipse carmen non legit, sed cum Servio ab eodem ut videtur auctore deceptus[1]) erravit, ut Mueller l. c. p. 342 contendat: *Seit dem vierten Jahrhundert scheint Annianus nur noch sehr wenig gelesen worden zu sein.* Hoc autem fortasse etiam in saeculum tertium cadit.

Neque minus ad Schultzii sententiam quadrat, quod Annianus et Terentiani aequalis Septimius eadem metrorum ratione utuntur[2]) et Nonius, qui scriptorum Augusto posteriorum nullos nisi saeculi secundi antiquarios commemorat aut excerpit, octies Serenum nominat[3]) et Diomedis auctor, qui, cum versum illum *laetare bacchare praesente Frontone* adferat, non multo post Frontonem fuisse videtur, Serenum et neotericos interdum adhibet.[4])

Duo autem Schultzii argumenta adhuc restant. P. 278 enim non intra quinquaginta annos Terentiano Aphthonium, Aphthonio Marium Victorinum, qui ante a. CCCL. scripsit, usum esse, sed maius temporis spatium intercedere comprobat.

Praeterea Iuba, quem L. Mueller in Mus. Rhen. XXV 342 et Schultz l. c. p. 279 sub finem saeculi secundi scripsisse censent, non

1) Cf. etiam Hensii librum de Iuba artigrapho et Schultzii de Aelio Festo Aphthonio diss.

2) Quod ipse quoque Schultz adfert l. c. p. 278.

3) Cf. L. M. p. 26 sq.

4) Cf. Schultzii disput. l. c. p. 267. — Ceterum etiam aliud argumentum a Lennepio ad v. 693 prolatum, quamquam ipse de aetate Terentiani non recte iudicavit, dignum est quod hic addatur: '*Saepius quia C locare plurimis iam moris est*]. Quint. I 7: *illud nunc melius quod cui tribus quas proposui litteris enotamus, in quo pueris nobis ad pinguem sane sonum qu et oi utebantur, tantum ut ab illo qui distingueretur.* Quae cum hoc Terentiani loco collata mihi quidem indicare videntur Terentianum nisi Quintiliani temporibus, certe paulo post fuisse.'

ante Terentianum aut non multo ante eum libros edidisse potest. Nam cum Terentianus artem metricam posteriorem quam inde a Westphalii libris metricis vocare solemus nullo verbo commemoret neque igitur novisse videatur, Iuba autem eam secutus sit, Schultz Terentianum non post Iubam, i. e. non post saeculum secundum scripsisse concludit.

Quod argumentum cum propter Iubae aetatem nimis incertam[1]) non firmum sit, Terentianum Iubae *Arte* non usum esse[2]) pro certo haberi potest. Immo in contrariam sententiam qui abirent non defuerunt. Ut Wentzel (De Iuba metrico part. I p. 5): *Iubam,* inquit, *Septimii Sereni opuscula ruralia inspexisse et in manibus habuisse*[3]) *Hensius adeo nullis certis argumentis comprobavit*, *ut potius cum Keilio* (Gr. L. VI p. XV et XVI) *huius poetae versus e Terentiano eum hausisse et more suo commutatos in Artem recepisse suspicer.*

Utut haec res se habet, summa disputationis Schultzianae haec est: *Setzen wir ihn nach diesen Erwägungen um die Mitte des zweiten Jahrhunderts, seine Schrift um 175, so wird sich wohl auch in betreff der Sprache nichts einwenden lassen, bei der man auch die Herkunft des Dichters und die Schwierigkeit der Metren zu berücksichtigen hat.*

Hoc igitur Schultzii de Terentiani aetate iudicium utrum comprobandum sit[4]) an Lachmanno Keilio reliquis assentiendum, accurata sermonis observatione exquirendum est.

Sed antequam ipsam rem adgrediamur, aliquantum temporis inter librum tertium editum et secundum intercedere videri significandum est. Libros enim primum et tertium Marius Victorinus vel potius Aphthonius, qui secundum non novisse videtur[5]), secutus est, neque secundus ab Augustino, qui primo et tertio, aut a Diomede, qui tertio usus est, commemoratur[6]). Secundum autem, in quo complura ex primo et tertio ac partim ad verbum repetiit[7]), senex scripsit, id quod non tam ex morbo commemorato vv. 1291 sqq. aut ex eo quod aeger opus filio generoque ante editionem perpoliendum tradit vv. 283 sqq., quam ex praefatione totius quod nunc legi-

---

1) Wentzel in Symbolis criticis p. 17 et Hense Iubam, quod Terentiani aequalis sit, sub finem saeculi tertii scripsisse existimant. — E sermone Iubae, quoniam quae *Artis* fragmenta Hense collegit num genuina Iubae verba praebeant aut omnino ex illius libris sumpta sint nullo modo comprobari potest et certa fragmenta perpauca sunt, argumenta peti non possunt.

2) Westphalium, qui Iubae *Artem* a Terentiano adhibitam esse iudicaverat, Hense p. 95—100 refutat.

3) Agitur de versibus iam supra p. 9 sq. commemoratis 2001 sqq. *quando flagella* e. q. s., cf. Keilii ad hunc versum adn.

4) Assensi sunt Leo in Herm. XXIV 283 sqq., Schwabe in Teuffel, Gesch. d. röm. Litt. § 373, n[5], Ribbeck, Gesch. d. röm. Dichtung p. 323.

5) Cf. etiam Hense, p. 84—86.

6) Gr. L. VI 322.

7) Quae ex Keilii notis criticis facile componi possunt.

tur operis, quam ad secundum librum pertinere recte Keilius cognovit[1]), apparet. Neque solum hi versus premendi sunt:

51 sqq. *sic nostrum senium quoque,*
quia iam dicere grandia
maturum ingenium negat
nec spirant animas fibrae,
angustam studii viam
et callem tenuem terit,
tantum ne male desidi
suescant ora silentio,

sed imprimis ex tota illa de athleta quodam narratione non paucis, sed pluribus annis ante alia Terentianum opera[2]) confecisse cognoscitur.

Atque etiam in sermone quamvis rarissimas tamen differentias quasdam invenisse mihi videor. Ut in secundo libro versuum initia aut exitus undevicies (1:54) repeti, in tertio autem duodecies (1:140) [vel quater decies = 1:120] inveni[3]). Deinde Terentianus ut binas res significet forma singulari vocabuli *uterque* in libro primo quinquies (1 : 60), in secundo ter (1 : 320), in tertio sedecies (1 : 100) utitur, contra plurali in primo numquam, in altero sexies (1 : 160), in tertio bis (1:800), qua in re interdum metro coactus est, saepius autem ipsum verbum adeo non aptum erat, ut singularis usurpari omnino non posset, ut vv. 661: *segregandas utrasque existimo* (pro *illas inter se segregandas*), v. 921 *sonis utrisque constat* Ζῆτα, 1026 *divisas cernis utrasque,* 1080 *nisi vocalis sequatur utrasque* (pro *illas*).

Tum genetivi in *-ius* terminati in tertio libro longam paenultimam habent praeter unum *altĕrĭus* in v. 1758 (contra ter *altĕrīus* 1352, 1611, 2184), at in secundo libro *altĕrĭus* 1109, 1119, 1226 legitur, praetera *illĭus* 664, *unĭus* 613 (contra *unīus* 1116) *utrĭusque* 409.

Neque forte accidit, ut in tetrametris troch. catal. tertii libri arsis quarti pedis semel, in secundo libro vicies quater dissoluta sit; omnino enim in tertio libro vicies sexies (ergo ratio 1 : 26), in secundo octogies semel (24 : 81 = 1 : 3, 4) longa prima pedum in duas breves dissolvitur.

Cf. etiam quae infra in indice particularum de particula *tamquam* dixi.

Sed haec et talia nimis premere nolo. Nam in universum sermo satis constat, ut discrimen in quaestione proposita facere non liceat.

1) l. c. p. 320.
2) Aliter Ribbeck l. c. p. 324 iudicat, scilicet Terentiani opus metricum unum esse et Terentiani priora opera reapse carmina fuisse.
3) Cf. huius libelli p. 306.

II.

DE SERMONE.

Prooemium.

Saeculo post Chr. n. secundo artes magis magisque labebantur. Nam quamquam prioribus principibus crudelibus boni imperatores successerant et tempora laeta atque secura facta erant, tamen pristina elatio et magnitudo animorum non revertebantur. Sed si solam iurisprudentiam excipimus, omnes artes et litterarum studia magis magisque sterilia fiebant neque homines priorum copiis scriptorum satiati quicquam ex se creabant, immo adeo hebetata ingenia erant, ut Fronto ille aridi homo animi maximae aequalibus admirationi esset.

Orationis autem qualis ea aetate condicio fuerit si quaeritur, iam displicebat primi p. Chr. n. saeculi stilus, neque tamen ad optimos scriptores se revocabant, sed priscam orationem imitatione exprimebant atque ex remotis saeculis verba dictionesque petebant, quibus sermonem infucarent.

Neque tamen hoc fortuito factum est. Nam cum iam antea ex aliis provinciis clarissimi in litteris homines provenissent, imprimis inde ab initio saeculi secundi Africa in omni artium ac litterarum genere eminere coepit, ut iam a Iuvenale Africa *nutricula causidicorum* nominata sit. Mox Fronto Sulpicius Apollinaris Apuleius (Gellius?) Minucius Felix (?) Tertullianus, inter iuris peritos Iulianus Papinianus (?)[1]) alii multi posteriores natione Afri in litteris floruerunt. Africus autem sermo non tam ad urbanitatem excultus erat quam Romanus, sed multa et verba et constructiones ab elegantibus scriptoribus Romanis vitata neque nisi in sermone cottidiano aut vulgari retenta in litteratorum Afrorum ore erant[2]), et praeter alias hac causa effectum est, ut Fronto eiusque assectatores Plautum Ennium Catonem alios lectitarent legendosque commendarent[3]).

Post Frontonem autem Apuleius et Gellius clarissimi fuerunt, alter rhetor (et philosophus), alter litterarum studiis deditus. Itaque

1) Cf. Kalb, R. J. p. 111 sqq. et Leipoldii de Papiniano dissert.

2) Itaque utrum ex operum antiquorum studio an e sermone cottidiano verba assumpta sint, saepe difficillimum est dictu. Quamquam nonnulla ut *siet coeperīmus sustulerīmus repetundus ceu ast quīs* alia aperte non usus cottidiani erant, alia ut multa substantiva in *-tio, -tus, -tor,* adiectiva in *-bilis, -alis,* verba in *-are* desinentia, similia, quae ab uno quoque facile novari poterant, senescentem saepe sermonem redolent, neque verba prave translata quae propriam notionem amiserunt, ex vetere sermone sumpta sed plerumque vulgi usu contrita sunt. Tamen plerumque talia sentiri magis quam demonstrari possunt, ut summa cautione opus sit.

3) Quae opinio dissertationibus Sittlii in libello: Die lok. Verschiedenh. e. q. s. pp. 120 et 125, Leipoldii p. 27, Piechottae p. 1 sqq. Woelfflinii in W. A. VII 470 sqq. confirmatur.

ille, quippe qui eloquentiam non ex litteris sumpserit, multo minus veteris sermonis imitator est[1]) quam Gellius, qui ieiunum sobriumque stilum verbis et elocutionibus ex operibus priscis petitis infucat. At Apuleius eum stilum finxit, quem tumorem Africum[2]) nominare solebant; sed hunc, quippe quem Terentianus non imitatus sit, accuratius exponere non opus est.

Hi igitur cum clarissimi secundi saeculi auctores fuerint, inquirendum est, Terentiani genus dicendi utrum id fuerit, quod non multo post illos aut eodem fere tempore vigeret an longius tempus inter eos et Terentianum intercedere verisimile sit.

Ac primum quidem ut par est de sermone suo ipse quae disserat audiamus. Etenim in praefatione haec scribit:

74 sqq. *ne sermo ambiguum sonet,*
ne priscum nimis aut leve,
vocum ne series hiet,
neu compago fragosa sit,
vel sit quod male luceat: . . . .
pompae gloria vilis est

1) Cf. Piechotta p. 8 sqq.

2) Rectissime nunc Sittl in Bursiani annalium vol. 68 (1891) p. 236 tumorem Africum qui putabatur maximam partem tumorem Apulei esse dicit. Ipse decem fere annis ante e lingua Punica hunc tumorem ortum esse contenderat idque multis exemplis declarare studuerat, quamquam num linguae Punicae Apuleius et omnino tum Afri notitiam habuissent non quaesiverat. Neque priusquam in vulgi sermonem una verborum structura peregrina reciperetur, sescenta verba inrepere solere recordatus erat. Sed ut dicam, quid de sermone Afrorum sentiam, cum quantum illa aetate in toto imperio Romano commercium fuerit reputo, mihi non dubium est, quin ut studia doctrinae ita sermo cultus atque imprimis verborum structura et syntaxis in universum eadem fuerint neque fere in eruditorum sermone differentiae nisi ex varietate et ingeniorum et studiorum disciplinarumque oriundae inveniantur. Alia enim est perpoliti sermonis condicio, alius pronuntiationis et vocabulorum usus vulgaris. Sed quo quis erat doctior, eo magis provincialium proprietates vitabat. Itaque quamquam in usu cottidiano maximas provinciarum differentias fuisse nemo negabit, priusquam voces in eruditorum operibus quae inveniuntur certae provinciae attribuentur, plerosque eius provinciae viros cum occasio daretur ea voce usos esse, ceteros scriptores in eadem occasione abstinuisse ostendendum est, id quod maxime in iis voculis, quae ubivis occurrunt, ut pronomina praepositiones coniunctiones, fieri potest. Sed in reliquis verbis haec observari saepissime non poterunt et adhuc tam pauca certa sunt, ut de multorum scriptorum patria maximae dissensiones sint.

Sed ut redeam in viam, quae praeter Apulei rhetoris flores et flosculos *tumoris Africi* propria habentur — cf. e. c. Budinszky, *Die Ausbreitung der lateinischen Sprache* e. q. s. 1881, p. 260 — ut verba incohativa frequentativa intensiva sine sensus mutatione adhibita, translatae et poeticae dictiones — Sittl has e Vergilii studio fluxisse putat, sed omnino prosae et poeticae elocutiones, postquam usu tritae sunt, misceri solent — malus denique verborum ordo, ut concinnitas et levitas orationis plane contemnatur ac desit, haec et talia in omni posteriore sermone pari fortasse frequentia inveniuntur.

et in libro secundo, quem *senio* confectus composuit, haec:

294 *sermo si planus pedestri se tenet modestia,*
295 *disputandi quem tenorem doctiores imperant,*
verba si non appetita nec remota plurimis,
sed fere communis usus et tamen non obvia
carminis servant honorem, non iacentis cantici,
quo supersidens trapeto signa gyris temperat,
300 *(sufficit vitare labes et carere sordibus,*
pro statu rerum dolare[1]*) lineam fandi parem,*
liberam scholae nitore, vatis exutam stola,
quae tropos omnes relinquat et superba schemata,
neglegens ut semet ipsa laudem ab incultu ferat)
. . . .
311 *hunc modum si competenti pertulit ductu stilus,*
sive proviso tenore cessit effectus labor,
acrius vos pendite ista . . . . .

Haec autem quando scripta sint cum quaeritur, mihi quidem ea aetas, cui Schultz Terentianum attribuit aptissima videtur esse. Nam cum iam medio saeculo tertio etiam ICtos, qui diutissime simplicem et sinceram orationem conservaverint, magis magisque colores rhetoricos inducere[2]) videamus, Terentianus melius iudicavit, cum idem sentiat, quod Fronto his verbis praecipit[3]): *summum eloquentiae genus est de sublimibus magnifice, de tenuioribus frugaliter dicere.* Ac cum Frontonis studium antiquitatis modice imitetur, Apulei novum stilum, fortasse quod aetate iam provectus erat, plane aspernatus est et *liberum scholae nitore,* i. e. rhetorum, sermonem appetivit.

Nam Terentiani sermo cottidianus est poetico quodam colore infucatus et perpaucis verbis vetustis aspersus.

Etenim quae inveniuntur orationis artificia, magis usitata erant et ut ita dicam ultro profluxerunt, quam arte et studio quaesita sunt[4]). Laxe omnino plerumque Terentianus enuntiata adserit neque veterum Romanorum ad exemplar particulis aut pronomine relativo pro demonstrativo posito sententias conectere studet. Atque tota in verborum structura ars ea fere re continetur, ut ubi verba libera neque rebus nimis adstricta sunt bina enuntiata inter se coniungat. Nam ut solito scriptorum Romanorum more rerum bimembrem enumerationem amat, ita oratio ei bipartita in deliciis est.

---

1) Coni. Buecheler; cf. Cic. de or. II § 54 *neque perpolivit illud genus, sed . . . . sicut potuit dolavit.*
2) Cf. Kalb, R. J. passim, imprimis p. 132.
3) p. 127 Naber.
4) Ut adnominationes, cum vix in ternis verbis inveniantur, plerumque fortuitae sunt, aut magis sensu ducente quam de industria positae praeter prooemium, in quo saepius inveniuntur.

Nec non collocatio verborum sermonem cottidianum sapit. Nam cum aliorum verborum tum particularum collocatio valde insolens saepe et mirifica est, atque adeo ut Lachmann id inferioris aetatis indicium esse professus sit. Quod concedere nequeo. Neque enim natura rerum et linguarum progressu fieri solet, ut posteriores scriptores in hac re liberius se gerant. Sed omnino in sermone cottidiano et vulgari omnibus temporibus verba multo liberius et solutius quam vulgo credebatur posita sunt. Velut discrimen quod inter Vitruvium et eius aequales hoc nomine intercedat exemplis ab Eberhardio (De Vitr. gen. dic. part. II) collectis cognoscere operae est pretium[1]). Deinde cum ad alias rationes tum ad hanc metrorum necessitas maximi momenti fuit; cf. quae infra in excursu disseram. Accedit tertia causa gravissima. Nam saepe inusitate particulae ponuntur, ubi metra nulli impedimento sunt, et omnino pluribus locis et insolentius saepe verba collocantur, quam ut hoc ex cottidiani sermonis usu — neque enim umquam quisquam ita scribere debebat — aut e metrorum difficultate repeti possit. Itaque hoc non temporis indicium est, sed laboris ad insuetam verborum positionem conlati. Hac enim re, si recte iudico *stili levare siccioris taedium* (282) et, cum ab inculto sermone non recedere videretur, tamen poeticum quendam et ab oratione communi discrepantem colorem inducere studuit, quem sonoris rhetorum verbis aut poeticis dictionibus natura argumenti nec poterat comparare nec debebat. Itaque cum studium neglegentiae accedat, iam altera saeculi secundi parte verba non minus quam tertio saeculo tam insuete collocari potuisse interim concedendum est.

Sed haec quae de elocutione Terentiani dixi ad sequentia recte aestimanda sufficere puto. Itaque accuratius ea exponere aut exemplis inlustrare nunc non in animo est, sed statim ad copiam verborum et ad syntaxim transibo, postquam paucis praemonuero, quatenus Terentianus metris impeditus sit.

Excursus.

Metra Terentiano impedimento fuisse.

Carminis didactici ratio prorsus alia est ac melici vel heroici. Ibi enim cum liberae et metris magis adiutae quam impeditae sententiae progrediantur et verba poetica effundantur, in artium explicatione, praesertim autem in tam ieiuna materia quam est metrorum tractatio, sermo non libere evagari nec verba metris apta eligi possunt, sed quas sententias res exponendae flagitant, accurate metris exprimendae sunt.

1) Cf. etiam Dziatzko ad Ter. Phorm. 261 et in suppl. crit.

Itaque naturalem sermonis simplicitatem metris saepe perturbari quasi a limine consentaneum est. Quod reapse factum esse Terentianus ipse cum alibi tum his verbis confiteri videtur:

305 sqq. *dum tamen rebus minutis, quas pedum liber quoque*
vix queat proferre sermo noster offensa sine,
labili versu ministret inretusos exitus.

Idem multis rebus comprobari potest. Ac primum quidem in exemplis et in nominibus propriis Graecisque et in artis vocabulis longas corripere brevesque producere aut hiatum admittere non dubitavit, id quod exemplis inlustrare, quoniam de re metrica in hac dissertatione non agam, nunc supersedeo. Deinde nomina[1]) nominumque formas[2]) genera[3]), in exemplis adferendis casus[4]), verba[5]) verborumque formas[6]) genera[7]) modos[8]) tempora[9]) permutavit. Iam in enumerandis rebus quanta varietas coniunctionis, quam varius omnino particularum usus, quam mira multis locis collocatio conspiciuntur. Neque dubito quin persaepe haec metris effecta sint. Quid? quod et praepositiones commutavit. Semper enim longam syllabam *in duas breves solvi,* sed in vv. 1454 et 2352 *solvi per duas* dixit.

Haec autem metrorum difficultas eo etiam augetur, quod versus maiores pleno enuntiato Terentianus claudere solet. Nam quaecumque tetrametrorum troch. catal. paginae oculis perlustrantur, paucissimi versus inveniuntur in fine interpunctionis notis non instructi[10]), non ita multi pro portione in ipso *corpore metri* distincti, in his autem plurimi in ipsa caesura separati[11]). Hac igitur de causa saepe

---

1) ut multa deminutiva: *fulgidulus funiculus gemellus Graeculus limula litterula longulus;* brevem syllabam 2198 *parvam,* alibi *breviorem* aut *minorem,* liquidam saepe *udam,* 1249 *uvidam,* paenultimum 2892 *prope ab ultimo pedem* dixit; cf. etiam 1385 *trochaeus . . . syllaba longus priore, parcior novissima,* alia multa.

2) imprimis accusativos in *-on* finitos.

3) ut *finis* semper generis masculini est praeter v. 2083 *debĭtă finis.*

4) Cf. v. 218 cum v. 785.

5) ut *vocare vocitare, nominare memorare, iugare iungere, suscipit* 1186 = *excipit,* alia multa cf. etiam p. 307 sqq.

6) ut *siet, coepcrīmus, sustulerīmus, dixere* similia.

7) Cf. 112 *necesse est tenere labra linguamque . . . . reduci.*

8) Cf. 1365 δίβραχυν *dixere Graeci quod sit ambabus brevis.*

9) Cf. 1209 *quando residet et geminaverit . . . reddetur.*

10) Saepius in fine distinguendum est, ut v. 406 sqq. lego:

nec fuit longis iuganda υ (*vel* M) *brevis vocalibus* (*vocalium* M),
syllaba ut diphthongos illa (*ulla* M) *temporum fieret trium.*
non ita est, nec prima longis υ *dedit nativitas,*
utriusque verum origo iure diphthongos fuit.

Adhuc post *syllaba* et *utriusque,* non ante distinguebatur. Post v. 201 Keil punctum omisit.

11) Editores hoc interdum non satis respexerunt; ego 486 post *semper,* non ante interpungo; item in hexametro 1081 verba *quas dixi* pri-

ideo tantum addita verba leguntur, ut versus expleantur, ut *convenit*[1]) 567, 1344, 2285 alibi, *necesse est* 788 *(cum* **choros** *necesse est dicere), solet* 983 *(**fraus** velut scribi solet), sic* saepius (ut 992 *declinare sic* αἰcχροὺc *solent*), *parat* 1137 *(parat dare temporis auctum)* alia multa, saepe etiam tota altera versus pars supervacanea est. Quid igitur mirum, quod non solum e prioribus libris in secundo versus iteravit[2]), sed saepius exitus aut initia versuum repetiit; cf. (202 = 227), 288 = 376 = 388, 494 = 665, 502 = 515, 533 = 544, 679 = 786, 714 = 739, 789 = 834, 817 = 945, 1020 = 1265, 1040 = 1257, 1045 = 1067, 1077 = 1158, 1085 = 1219, 1115 = 1137, 1130 = 1181, 1126 = 1260, 1156 = 1196 = 1226, 1381 = 1415, 1670 = 1688, 1680 = 1682 = 1684, 1958 = 2135, (2152 = 2637), 2202 = 2322 = 2329, 2315 tot. = 2333, 2318 = 2326, 2341 = 2344, 2575 = 2823 (cf. 2827), (2676 = 2715), 2923 = 2927.

Ac multa alia conferre et exempla ex hoc ipso libello multiplicare licet, sed haec paucula sub uno conspectu posui, ne umquam quid versus ad sermonem valerent animo excideret. Nam uno quoque loco haec indicari, praesertim cum saepe in toto enuntiato sentiri magis quam in singulis verbis demonstrari possint, nequeunt. Neque debent. Nam quamquam Terentianus enuntiati quam formam eligeret aut cui neglegentiae indulgeret, quae verba sumeret aut quo ordine poneret, saepe metris respectis moderatus est, tamen non dubito quin in universum non ita multo plures in syntaxi, quam exempli gratia nomino, licentias metro coactus admiserit, quam in prosa oratione admissurus fuerit.

De copia verborum.

Sermonem tractare priusquam coepi, ut firmo solidoque quasi fundamento niterer, non solum rariora vocabula, sed quae omnino alicuius momenti esse possent, collegi et quae de isdem verbis ab aliis scriptoribus sive eodem sive alio sensu adhibitis dicenda erant quantum potui addidi. Hunc autem indicem verborum memorabilium quoniam nunc non subiciam, nonnulla hic verborum genera tamquam specimina perlustremus, ut tamen de vocabulorum copia iudicium fieri possit.

Numerum verborum non amplum esse nemo negabit neque quisquam amplum exspectaverit. Neque enim in tribus milibus ver-

---

oribus adiungenda sunt. Praeterea in enumerationibus binas res copulandas esse non semel e caesura cognoscitur.

1) *Convenit* 783 cum gerundivo coniunctum Terentianus fortasse e communi usu mutuatus est.

2) ut 354—365 (= 1306—1313) alios, cf. Keilii notas.

suum, praesertim cum materia angustis terminis circumcisa sit, magna vocabulorum copia adhiberi potest, et quod dicendi genus argumento aptum esset, humile dico et consuetum, Terentianus, ut est sobrius, recte cognovit, quod cum omnibus versibus supra adlatis tum his ostenditur:

284 *intueri vos oportet . . . .*
296 sqq. *verba si non appetita nec remota plurimis,*
sed fere communis usus et tamen non obvia
carminis servant honorem.

Ac tamen in singulis rebus exprimendis satis varium se praebuit, velut ut litterarum aut vocum ordinem describeret, verbis transitivis et intransitivis usus est his:

†**accedere**[1]) **post:** 1158 *accedit littera post dactylon.*
addere.
adhaerere 1741 per se positum, 786 cum dativo coniunctum ut plerumque apud poetas atque post Christum etiam in prosa.
†**adiacere** verbum ipsum usitatum est, sed 1035 et 1320 insolenter a Terentiano ad ordinem litterarum designandum translatum.
adiungere.
adnectere.
adponere.
anteponere 217, 575, 678 ut ap. Tac. et Quint. proprio sensu locali usurpatum est.
aptare 89 *consona vocalibus aptare,* 1576 *aptare duobus (temporibus) tria;* similiter hoc verbum post poetas aevi Augustei posteriores scriptores saepius adhibent.
claudere 2618 *claudit longa brevem alteram* i. e. sequitur.
coire.
cohaerere.
comitari 1087 *pedem primum nisi pes comitabitur alter.*
comparare 2966 *trimetro epodum comparat.*
compellere sequi 888 *Graecus compellit illam (litteram* μ*)* δέλτα *sequi.* De hoc verbo cum infin. coniuncto v. infra, ubi de modis egi. Maecianus, qui fuit temporibus Antonini Pii et sermone vulgari usus est, hoc verbum undecies, verbum *cogendi* quinquies cum inf. habet.
conectere.
coniungere.
consequi 762, 1555, 1639, 1903, 2842 minus bene ad ordinem designandum pro simplici verbo *sequendi* adhibetur, cf. Krebs s. v.
continere 1215 *vocalis si udam contineat* i. e. subiectam habeat vel si vocalem consonans liquida sequatur.

1) Quae insolenter a Terentiano usurpantur, his in paginis addito crucis signo notavi, quae ab eo solo, signo duarum crucium.

convenire 874 *uda secunda paene solis convenit vocalibus;* similiter ap. Ter. Cic. Sall. Nep. Plin., cf. Georg. lex. s. v. II A 2 α.
copulare saepe invenitur: 974, 995, 1321, 1331, 1541, 2021, 2292, 2297, 2318, 2326, 2572.
†**subditum currere** 1156, 1196, 1226.
ante aut **post dare** saepe invenitur.
excipere 1193.
iugare et **iungere**: utrumque verbum saepissime adhibetur, ut significet: adnectere rem rei, conectere partes rei, conectere rem partibus. idem valet de insequenti verbo.
ligare = *adnectere* 375, 841, 855; = *conectere* 20, 815, 931, 1785, 2031; hoc verbum post poetas temporum Augusti etiam in prosa oratione invenitur.
ante aut **post locare.**
nectere = *adnectere* 539 et 808.
postponere.
praecedere 2290 *praecedet ergo quando eres iambicum;* hoc verbum apud Cic. Sall. Nep. Tac. non exstat, semel apud Caesarem; apud Livium et posteriores accusativum regit, cf. Krebs s. v.
†**praeditus** = *ante locatus* 159, 291, 533, 544, 632, 704, 717, 729, 753, 792, 1015, 2075; huius usus exempla lexica non adferunt, sed unum Frontonis locum, quattuor Apulei, ubi idem valet quod *praepositus.* Sed 2691 quod legitur: *quorum (carminum) exordia cum praedita videris, stabit continuum (metrum) consimili modo,* ferri posse mihi non videtur; conicio *prodita* aut *reddita.*
†**praeesse** 1330 *i et u non hoc valebunt, sive praesint alteri*, i. e. praepositae sint; nusquam similiter usurpatur.
†**praeferre**: metrorum licentia usus 944 dixit: *(X littera) consonis praefertur autem, cum dirempta syllaba est nominis verbive cuius, cum Latinis sermo sit, expuli cum dico* (de interpunctione versus 945 cf. indicem praepositionum s. v. *cum*); neque enim ab aliis hoc verbum sic usurpatur.
†**praeficere**: metrorum causa formis trisyllabis *praeficit* et *praefici* Terentianus insolenter ad ordinem litterarum significandum usus est 648, 872, 885, 912, 935.
praelocare litteram 290, 501, litteram litterae 529, 643; semper – ∪ – ∪̄ ante caesuram septenarii trochaici. Similiter adhibetur a Mart. Cap. V 522, translate ab Augustino de gen. ad litt. 7, 17.
†**praemittere** litteram, versum, sim. = *praeponere;* praeter infinitivos *praemittere* 514 et 2977 et *praemitti* 671 *(M permitti)* participium *praemissus* 725, 1803, 1933, 1940, 2712 legitur (nusquam cum dat. coniungitur). Ergo *vorgesetzt* sensu locali apud Terentianum aut *praeditus* aut *praemissus* est, prout metro flagitatur. Ne hoc quidem verbum ab aliis eodem sensu adhibetur; cf. etiam Krebs s. v.
praeponere saepius ut apud optimos scriptores.
sequi, cf. indicem praepositionum s. v. *post.*

sociare 1231 *consona nulla potest quoniam sociare secundam (udam).*
subdere et imprimis partic. *subditus* saepe usurpatur sensu addendi ut binis locis ap. Gell. et Augustin., cf. Forcell. Nota 500 ἰῶτα *post* ῡ *subdere.*
subicere saepe legitur.
†**subigere** *(u littera) nuda sed priorque quando nec subacta est consonae.*
subiugare 559 insolenter transfertur: *producta (vocalis) . . . consonae cum subiugatur;* neque enim invenitur nisi ap. Arnob. Lactant. posterioresque atque alio sensu.
subiungere = *addere* 415, 421, 1058, 1086, 1094, 1233, 1268, 1544, 1723, 1729, 1801, 1933; cf. Krebs s. v.: 'In der gewöhnlichen Bedeutung von *hinzufügen* = *addere* ist dieses Wort nicht ciceronisch . . . . Um so häufiger findet es sich im *N. Kl.*' (sequuntur loci Plin. min. et Quint.). 'Ebenso verhält es sich mit *subnectere,* welches übrigens bei Cic. u. Caesar gar nicht vorkommt' (sequuntur loci Quint. Val. Max. Iust. Hier.).
subnectere 436, 1110, 1803; nusquam apud Terentianum participia *subiuncta* et *subnexa* exstant.
subsequi = *sequi* 765, 868, 952, 2019.
†**suscipere** = *excipere* 1186: *vocalem mediam si consona suscipit una.*
urgere 2198 *dum parva longam semper alterno gradu urget;* item 1514 sq., ubi omissa syllaba in M legitur: *sed continuo carmine pedes gemelli urgent brevibus tot numero iugando longas.* editores Aldum secuti *quia* post *carmine* inseruerunt, sed *se* scribere malim; nam versui 1513 illi 1515 et 1516 contrarii sunt, ut qui *quia* addiderint sententias obscurarint.

Atque alia multa inveniuntur.

Sed nova verba fingere, quamquam nonnulla ante eum non leguntur, minime studuit. Quod ut demonstretur, nonnulla verborum genera percenseamus.

Deminutiva habet haec:

flosculus verbi causa 837 invenitur; Cic. Sen. Quint. Iuven. alii.
fonticulus 2130; Hor. Vitr. Col. al.
formula.
#**fulgidulus** metro coactus posuisse videtur: 225 *fulgidula notabo milto;* apud Terentianum solum invenitur.
funiculus 21; Cato Cic. Varr. Gell. Apul. postt.
gemellus, vocabulum ut *geminus* Terentianus saepe translato significatu adhibuit; numerus singularis significat:

a) unam rem alii parem 881 *omnis uda cum gemella rite coniungi queat* (i. e. bis poni, nisi illud *cum* coniunctionem esse putas),
b) unam rem e duabus compositam: 1343 *pedem, ictibus quia fit duobus, non gemello tempore* (i. e. duplici), 1487 *gemellus pes* (i. e. choriambus), neque aliter pluralis adhibetur 1514 *pedes gemelli* (i. e. ionici, qui sunt pedes duplices); cf. Caes. b. c. 3, 4 *legionem gemellam;*

c) duas res 623 *(i littera) gemella* (i. e. bis) *locanda est.*

Item pluralis duas res signat:

a) eiusdem generis: 633 *vel licet ponas gemellas (litteras u)*, 2921 *ut dedi gemellos* (scil. hos duos versus);

b) ita ut hic sensus non subintellegendus sit, sed vocabulum prorsus pro *duo* ponatur: 1326 *gemellis cum iugamus syllabam vocalibus.*

Lexica translati sensus exempla e Caes. Col. Plin. Mart. adferunt; adde Quer. 2, 4 *gemellas formulas.*

(†)**Graeculus**; littera h 216 *Graecula quaedam scholicae nitela vocis* vocatur; haec vox apud optimos scriptores plerumque in malam partem vertitur.

(†)**labellum** 120, 134, 144, 188, 191, 227, sed abest vis deminutiva, quam habet apud Plaut. Cic. Catull. Liv. alios.

††**limula** voce lege metri coactus usus est 284 *perpolite qua potestis crebriore limula;* similiter *lima* saepe transfertur ut ab Hor. Ov. Vell. Quint. Mart. Plin. ep. Apul.

(†) **litterula** voce iam a Cic. adhibita Terentianus propter metrum pro *littera* 215 usus est, nam vis deminutiva abest.

longulus bis propter metrum usurpavit: 2189 et 2729; hac voce Cicero ad Att. 16, 13 usus est, adverbio *longule* Plaut. Ter. Apul.

novellus ter legitur 1973, 2241, 2529, cf. supra p. 296 sq. Krebs haec habet: '*Novellus, jung,* gehört der Bauernsprache an' (Cato Cic. Varr. Verg. Ov. Col. Plin. al.). Translatum est ab Ov. Liv. Arnob. Veget. al., saepe etiam a Cypr. Hieron. Ennod. adhibitum est, 'überhaupt im afrikanischen Latein', ut ait Krebs, 'und hier ganz im Sinne von *novus*'.

opusculum vocem Terentianus fortasse e Septimio sumpsit, cf. 1881 *dulcia Septimius qui scripsit opuscula nuper*, 1975 *Septimius docuit quo ruris opuscula libro;* Cic. Hor. Veget. Auson. Solin.

plusculi 2449; Plaut. Ter. Cic. Col. Fronto (p. 69 N.) Apul. alii; Gellius ter *plusculi, compluscuii* quater habet; cf. lexica et Vogel p. 21.

versiculus vim deminutivam habet 2178, non habet 1914, 2044, 2055; hoc vocabulo iam Cic. Catull. Hor. Ov. Col. Mart. Plin. ep. usi sunt.

†**vocula** propter metrum bis pro *vocalis* legitur: 116 *E quae sequitur vocula dissona est priori,* 529 o *et* υ . . ., ἰῶτα *quis si praelocetur, tres videmus voculas;* idem vocabulum 502 a Dawesio coniectum est, ubi M *vocalibus* habet, Micyllus *vocibus* scripsit. Vox *vocula* ab aureae quam vocamus aetatis consuetudine aliena, at apud Frontonem Gellium Apuleium frequentissima est (cf. Vogel p. 11) neque tamen eo sensu, quem apud Terentianum habet.

[Accedunt Septimii verba:

animula 1464 (cf. Mart. Cap. V § 518). Hoc verbum usurpaverunt Cic. ad Att. 9, 7, 1 W. Serv. Sulp. in Cic. ep. 4, 5, 4, Hadrianus ap. Spart. Hadr. 25, 9, Amm. 28, 1, 7, Augustin. civ. dei 19, 12, 3, inscrr.

(†) **canticulum** *zephyri* cf. v. 1981 et 1987. Praeter hunc locum Forcellinus Pompon. ap. Non. commemorat.

flagellum 2001. Scriptt. r. r.]

Substantiva in —*tio* et —*sio* desinentia:

alternatio 483 (cf. Paul. Fest. 7, 8) Apul. Ascl. 30 et 31, plural. ibid. 27, metam. 10, 10, Arnob. 7, 28, Macrob. sat. 7, 5, 4, Augustin. serm. 29, 1 al.

cautio 73 *instat callida cautio, ne.* Plaut. et Ter.: *cautio est, ne.* Cic. vocem cum genet. coniunxit.

compositio 443.

compressio scil. *labellorum* 190. Scribon. c. *musculorum*, Gell. *ventris,* Lact. *labiorum,* alio sensu etiam Plaut. Cic. Vitr. postt.

confusio 414, 1598 *confusio alternae silvae* (*confundere sonum* 831). Iam apud optimos scriptt. invenitur.

coniunctio 1856 particulam coniunctivam significat ut ap. Cornif. Cic. Sen. Quint. al.

(†) **conlisio** 831 *sed sonum confundit ipsa partium conlisio* (agitur de *subficc* verbo in *sufficc* mutato). Item Mar. Vict. p. 66, 5 K. *litterarum vocalium inter se collisio* habet (Itaque corrigendus Krebs p. 269: '*Collidere, zusammenstossen,* und *collisio, das Zusammenstossen,* werden nie von Buchstaben und Silben gebraucht'). Aliarum rerum *collisio* ap. Iustin. Firm. Diom. Amm. Serv. ad Aen. Vulg. Marc. Emp. Ps. Cypr. (Seneca N. Q. et Plin. N. H. et Cael. Aur. *collisum* dixerunt). *Collisio* est quam elisionem vocamus ap. Macr. de diff., Serv. ad Aen., Prisc. de metris Ter., cf. lexica.

conversio vocalis in consonantem 664 (= *mutatio* ap. Cic. aliosque).

correptio vocalis 126 (contr. *productio*) Varr.-Quint.

declinatio 413 ampliorem sensum habet, quo ab antiquioribus grammaticis, Varrone, Quint., adhibetur (*declinare* 992).

dictio 1317 ut singulis locis ap. Diom. Prisc. Mar. Vict. (Apul. de diphth.) unum verbum significat, cf. Georg. s. v. I, 2. Krebs tres Prisc. locos adfert.

discretio 71 *neu discretio falsa sit rerum;* haec vox similiter a Mar. Vict., Chalcid., in Vulg., a Pall. Amm. adhibetur, alio sensu ab aliis quoque posteriorum scriptoribus temporum. Cf. etiam Krebs s. v.

dispectio 1607 *ne dum requiris tarda sit dispectio.* Lexica unum locum adferunt: Tert. res. carn. 39.

distinctio 1356, 2769, 2776, 2779. Cic. Sen. Plin. Quint. Plin. ep. al.

divisio saepius ut 2589, 2730, 2819, 2849.

exclamatio 1590 *tendebat geminas pavida exclamatio voces.* Cornif. Cic. Quint. Tac.

haesitatio 328 = *dubitatio;* item Cic. Sen. Quint. Plin. ep. Tac. Mart. Cap. Vulg. singulis locis, cf. Georges.
intentio.
mutatio 1603.
occasio 1179.
oratio 277 et alibi.
portio = *pars:* 188, 199, 723, 1529, 1715 (respondet voci *pars* in v. 1714), 1737, 2117, 2124, 2477 (*prima ex trimetro portio*), 2579, 2761 (*versus utraque portio*), cf. Krebs s. h. v. sub fin.: '*N. Kl.* wird *portio* überhaupt = *pars* gebraucht'.
productio 125; eodem sensu a Cic. Varr. Quint. adhibetur.
† **progressio**, quod vocabulum omnino rarum esse videtur, singulariter 1456 translatum est: *nulla enim (non) longa solvi per duas breves potest: dum suo pedi reservet praestituta tempora, syllabarum nil nocebit longior progressio.*
ratio saepius solita significatione adhibetur, *ratio est* infinitivum regit 1008 *nec mihi ratio est Graecorum attingere* κοινάς, 1524 ἀπ' ἐλάσσονος . . . *sensum quotiens terminat aut carmina finit, longas ratio est ponere, non breves in imo, pes ut integer sit geminus.* Eiusdem constructionis singula exempla e Cic. et Tac. Georges adfert, Col. *minime est rationis* cum infin. coniunxit. Apud Gell. etiam *consilium est, ius est, potestas est* infinitivum regunt.

in *—tas:*

† **benignitas** 2045: *urbem tenuem fovent opum benignitate.*
brevitas 181; vox est usitata.
diversitas 293, 365 *d. syllabarum,* 392 *nostra Graecis cum sonis diversitas;* Sen. rhet. Plin. Min. Quint. Tac. Suet. Flor. Apul. postt.
Latinitas 1303 *Romuli Latinitas* (= sermo Romanus); Cornif. Cic.
lēvitas 281 *modorum sonora levitas;* ita probatissimi scriptt.
nativitas 287 *nativitas* (scil. litterarum), 408 (syllabarum ωυ et ηυ), 452 (litterarum ε et ἦτα, ο et ω) *temporum momenta distant, non soni nativitas.* Ulp. Arnob. Tert. Hieron. Oros. (cf. lexica et Krebs; Paucker, Subr. scrut. s. v. Cass. Fel. et Cael. Aur. locos addidit.
novitas vox usitata saepius invenitur ut 1922 et 2403.
potestas = *vis, Geltung, Bedeutung:* 545 *quanta vero sit potestas singulis iunctis sibi* (scil. litteris *i* et *u*); conferri possunt quae Georges s. n. I et Krebs adferunt.
proprietas 107; Cic. Liv. Sen. Quint. Suet. Gell. Iustin. ICti.
proximitas 183 *ut cuique* (litterae) *est proximitas loci sonive;* vocem proprie Ov. et Vitr., translate Ov. Quint. Apul. ICti (cf. Kalb JL) adhibuerunt.
vetustas 1580 *hexametros tradit genitos duo prima vetustas,* 2500 *quem credidit vetustas . . . Saturnium vocandum;* cf. Sil. I 26 *sic credidit alta vetustas.*
virginitas 2155 *florea v.;* Cic. Verg. Ov. Amm.

in *—tus* et *—sus* (IV. decl.):

accentus 1433 *Italum si quando mutat Graius accentus sonum* cf. Nettleship, Contrib. to Latin Lexicogr. s. h. v.: '*accentus* is not quoted from any writer earlier than Quintilian (I 5, 22), and may have been coined by Verrius Flaccus or Pliny'. Cum Nigidius Figulus *voculatio* (cf. Gell. XIII 26, 3), Varro *prosodia* (cf. Gell. XVIII 12, 8), Cic. (or. 58) *vox acuta, sonus, intentio vocis* vocabulis usi sint, *accentus* invenitur Quint. I 5, 22, Gell. XIII 26 (25), 3 *[quem accentum nos dicimus, voculationem appellat]*, Front. ad Anton. p. 158 N., Mart. Cap. III, § 268 sqq., Serv. ad Aen. I 32, II 476, Diom. p. 430 K.

accessus 1105 *temporis accessu ... est reddita longa* 1115 *sentiet* (dactylus) *accessum momenti et temporis auctum.* Cf. Krebs s. h. v.: 'Nicht nur *Sp. L.*, sondern schon bei Sen. ir. III 1, 5 findet es sich in der Bedeutung *Zusatz*, *Vergrösserung* für *accessio*, *incrementum*'. Eandem significationem habet Cod. Theod. VI 35, 7.

actus 2205 *at qui cothurnis regios actus levant.* Hic sensus inde a primo p. Chr. n. saec. invenitur; cf. Krebs s. h. v.

adventus.

auctus 1115 *dactylus...sentiet accessum momenti et temporis auctum,* 1137 *dare temporis auctum.* Lucr. Liv. Vitr. Vell. Lucan. Sen. Plin. Tac. Plin. ep. Apul. Solin. Cf. Krebs: '*auctus* ist *A. L.* und *N. Kl.*'

captus 280 *captus ut meus ferebat,* 1286 *pro captu lectoris habent sua fata libelli.* Cf. Krebs: '*Captus* kommt als Subst. in der bildlichen Bedeutung *Einsicht, Fassungskraft* in der besseren Sprache bei Terenz, Cicero und Caesar nur in der Redensart *ut captus est* mit einem Genetiv Plur. vor, aber nie, ausser im *Sp. L.* (i. e. post Antoninos) mit Praepositionen wie *supra* und *pro* verbunden'. Sed cf. Gell.: *pro aestimato captu sollertiae.*

casus 802 *casus unus ni probaret,* 1050 *unicus efficiet casus.* Cf. Krebs s. v.: 'Was *casus* = *Fall* oder *Ereignis* betrifft, so sind wie im Deutschen, so auch im Lateinischen Ausdrücke wie *in huiusmodi, tali, simili casu* u. dgl. ganz gewöhnlich' e. q. s. Sensu grammatico et apud Terentianum et apud alios scriptores usitatum est.

complexus 1226 *nunc libera namque utraque amplexu alterius nec subdita currit* (scil. consona liquida); similiter Quint. hac voce usus est.

ductus 311 *hunc modum si competenti pertulit ductu stilus;* translate etiam Quint. IV 2, 53 et IX 4, 30 hac voce usus est; cf. Forcell. s. v. in med., ubi Ernesti et Spaldingi de his locis sententias adfert. Ipsa vox iam a Plauto et Cic. adhibita est.

effectus 382 (diphthongi) *semper effectum duorum temporum custodiunt,* 595 *ut effectus probetur, consonans cum fiet i;* ap. Cic. Liv. Quint. al. saepius exstat.

exitus 189, 307, 346.
hiatus 1294 *mors avide nigros pandebat hiatus;* verbum usitatum est.
ictus 119, 1343.
incultus 304 *neglegens ut semet ipsa* (oratio) *laudem ab incultu ferat;* lexica duos Sallustii, unum Livii locum adferunt.
lusus 2752 *esse hoc* (metrum) *lusibus aptum;* poetae temporum Augusti, Sen. rhet., Sen. fil., Quint., Plin. ep., Suet. Gell. Lact. al.
meatus 97 *his* (mutis consonantibus) *caeca soni vis penitus subest latetque, ut non labiis hiscere, non sonare lingua ullumve meatum queat explicare nisus;* Quint. et Plin. ep. habent: *m. spiritus, animae.*
motus 1367.
nisus (M constanter *nissus*) 27, 97, 114, 245; vox usitata erat.
orsus 1099 (syllaba producta) *pedis efficit orsum*, 2083 *sed carminis orsum peragat debita finis;* lexica duos locos adferunt: Cic. poet. de divin. II 63 *vani pectoris orsus* et Culicis 2 *ut araneoli tenuem formavimus orsum.*
ortus 143 *nitamur ut O*[1]) *dicere, sic citetur ortus* (litterae U), 600 *ut sit* AT IV *pes et inde versus ortum sumpserit,* 1595 *et hinc* (i. e. e versu ἰὴ Παιάν, ἰὴ Παιάν, ἰὴ Παιάν) *pedum tot ortus est iambicus.* Vocabulum *ortus* saepius invenitur, imprimis ap. Cic.
plausus 2254 *plausu pedis;* vox usitata est.
positus 1006 (syllabas) *facili positu et plana ratione patentes,* 1072 *quae tali positu* (i. e. ita locata) *obstant,* 1099 *vocalis ..., si positu longa efficitur.* Cf. Krebs: '*Positura* und *positus* sind *N. Kl.* und oft *P. L.*' Vocabulum *positus* eodem sensu quo a Terentiano adhibitum est a Gellio IV 17, 8.
rictus 98, 112, 117; vox usitata est.
†**situs** vocem usitatam plerumque ad metrum recte constituendum adhibuisse videtur: 607 (syllaba) *situ iuvatur* (i. e. positione longa fit), 646 *Aeolica gens tunc digammon .... scriptitat, mutet ut situm figurae, quando mutabit sonum,* 1407 *ordinis situ repugnans* (dactylus anapaesto), 2791 (commata dari) *non hoc quo modo sunt situ, versa sed vice pristina.*
sonitus saepius legitur ut 102, 105, 193, 201, 203, 208, 236, 264.
spiritus 237.
status 301.
tractus 2234 (comici) *vitiant iambum tractibus spondiacis* (sic Keil, *spondaicis* M); singularem Cic. habet: *quanta haesitatio tractusque verborum.*
usus 129, 648 alibi.
versus saepe exstat.
volatus 541 exemplum est; Cic. Catull. Martial. Apul. Claud.
vultus 160.

---

1) Describi apertum est, sonus U vocalis quomodo conficiatur, itaque cum adhuc U scriptum sit, O scripsi.

in *—men* et *—mentum:*

acumen 318 *non enim cursim aut remisse tam minuta acumina adsequi quicumque poterit.* Ita 'de subtili dicto, aut invento aut argumento', ut ait Forcellinus, a Cic. Hor. Arnob. adhibetur.
carmen saepe exstat.
certamen 48 parum definite laborem significat athletae senis.
cognomen 1931.
discrimen 835 (litterae liquidae) *pedum vel hinc vel inde sublevant discrimina;* cf. Gell. *discriminum ac differentiarum tenuitates* et similia.
††docimen, cf. paulo infra p. 318.
examen 81 *par examinis aestus est, ceu sublimia disseras,* 1290 *in vestro satis est examine cautum.* Vox a poetis Ov. et Stat. et a posterioribus Solino Lactantioque hoc sensu adhibita est.
excrementum 2611 *primas capiti duas excrementa* (Mar. Vict. 149, 34 K. *incrementa*) *putant.* Haec autem vox a verbo *excrescendi,* non *excernendi* derivanda ap. Mart. Cap. et Sidon. singulis locis invenitur.
nomen[1]) saepe legitur.
pronomen = *Fürwort* 709, 1665; Varr. Quint. al.
†spiramen vocabulo Terentianus peculiariter usus est; 228 *spiramine leni . . . hanc* (scil. litteram *f*) *ore sonabis,* 784 *spiramen addit* (*h* littera) *vocalibus,* 795 *U cum carens spiramine* (i. s. sine *h*) *ante vocalem locatur.*
stamen 930, 1059, 1178, 1295.

in *—tor* et *—trix:*

altrix 342 *artium parens et altrix Graeca diligentia est.* Pacuv. Laev. Cic. Verg. Sen. apoc. 7 Val. Fl. Amm. Auson. Ambros.
auctor 1360 et alibi.
[dominatrix 2061 in fragm. inc. poetae: *dea belli dominatrix;* praeierunt Cic. de inv. 1, 2 et Sen. Phaedr. 90, praeterea vox in Vulg. bis exstat.]
ductor 1360 *auctor et ductor melorum* (scil. pyrrhichius); ita optimi script.
lector 465, 1286; Cic. Quint. Mart. Gell. Apul.
ultor 2187 *iambe . . . ., ultor impotens tui;* vox usitata est.
versificator 1012; Quint. X 1, 89 *(versificator quam poeta melior),* Iustin. Vopisc. Beda; cf. etiam Krebs s. v. (*versificatio* iam Col. habet).

[Scriptores elegantes saepe ut accurati essent haec verba pluribus exposuerunt, sed usus cottidianus iis carere non poterat. Amantior autem figurae in *-tor* Augustinus est; cf. Paucker Spicil. Addend. p. 134 adn. 26.]

---

1) 662 Lachm. *momen* coniecit et certe quod U praebet ferri non potest. Sed ne vv. 663 et 664 sensu priventur, litterae I et U commutandae sunt: *nomen U quod consonantis* (i. e. *digammon* nomen habet), *I vicem solam gerit.*

Adiectiva quae in —*alis* et —*(b)ilis* exeunt:

††**congregalis**, cf. paulo infra p. 318.

disparilis 1562 *disparili metro* Cic. Varr. Col. Plin. Gell. Amm. Claud. (*dispar* 1381, 2335, 2388, 2509, 2550); cf. paulo infra s. v. *parilis*.

dissolubilis 2224 *est ut longa dissolubilis* i. e. ut longa syllaba in duas breves dissolvi potest; Georg. binos Cic. et Lact., singulos Tertull. et Augustini locos adfert.

facilis 1006.

immobilis 2092 *apclassonos immobilis omnis synaphia est;* vox est usitata.

labilis 307 *labili versu;* hanc vocem, quamquam apud priores non exstat, tamen unusquisque fingere poterat; invenitur ap. Arnob. Amm. Augustin. Cael. Aur.

memorabile *carmen* 2587; etiam ap. optimos scriptt.

mobilis 2152 *mobilis hic locus* (scil. versūs), idem 2556 et 2637 legitur; vox usitata est.

nexilis 515 *i . . Romana lingua non potest praemittere, edat ut diphthongon ulli nexilis vocalium.* Vox invenitur ap. Lucr. Varr. Ov. Mart. Cap. Prud.

novalis 179; vox non raro invenitur.

parilis vox propter metrum a poetis ut a Lucr. Cic. poet. Ov. Nemes. al. saepius adhibitum est, et ita a Terentiano 263, 265, 1568, 1968, 2696, 2804.

pastorale *carmen* 2123; idem Diom. commemorat; (*pastoralis* Cic. Varr. Verg. Liv. Col. Plin. Macr. al.).

[**pluraliter** 463; Sen. et alii.]

principalis = *ursprünglich* 438 *principali in corpore* (scil. verbi), 460 *principali in nomine*, 462 *principali verbo*, 701 *principale sed videmus esse quis quo nascitur cui;* eodem sensu a Cic. *causae*, a Quint. *significatio*, a Gellio *verba principalia* vocantur.

probabilis 386; Cic. Nep. Liv. Col. Plin. Gell.

stabilis 45.

tractabilis 66 *tr. pondus;* Cic. Verg. Ov. Stat. (qui ipse quoque *tractabile pondus* habet), Plin. ep. Lact.

vocalis substantivum ut ap. Cic. et Quint. saepe invenitur; *litterae vocales* 647 commemorantur, *elementa vocalia* 86, *vocalis sonus* 565, 642, 752, 764, 968. Notanda haec sunt: 139 *vocale sonantes* = *vocales*, et 373 (littera u) *interim vocale et ipsum, sumpta propter quod fuit, non tuendo syllabarum saepe mutat regulam.*

in —*ivus*:

dativus *casus* 702, *dativo singulari* 711. Quint. Gell. postt. (Varro L. L. *casus dandi*).

nominativus 465, Varr. Quint. Prisc. al.

†**subditivus** insolenter adhibetur 2221; (trochaeus) *habet . . . subditivum tribrachyn*; sed significatio, quam haec vox Arnob. V, 32 habet, non ita distat; alio sensu iam ap. Plaut. Cic. Suet. invenitur.

Nomina cum *in* privativo composita:

immobilis cf. paulo supra p. 316.
immotus 2638; inde ab Augusteo aevo saepe usurpatur.
immunis 46; vox usitata est.
impar 2202 *impari tamen loco,* item 2249, 2322, 2329, 2336 (i. e. in pede primo tertio quinto); hoc in lexicis non inveni, sed 2303 *numerus impar* usitate adhibetur.
impatiens 1285 *deses et impatiens,* cf. Krebs s. v. 'Es gehört zu denjenigen Wörtern, welche durch Verg. u. Ov. empfohlen im silbernen Latein gerne verwendet werden' e. q. s.
impotens 2187 *ultor impotens tui;* ita probatissimi scriptt.
incultus cf. paulo supra p. 314.
inlaesus = *integer* 2830 *inlaesum hexametrum;* Ov. Sen. Tac. Plin. ep. al.
inopinus 1922 *novitas inopina meleos;* haec vox a poetis adhibita est Verg. Ov. Val. Fl., sed etiam a Tac. Plin. pan. Amm. Or. Ennod. cf. Krebs s. v.
(†† **inretusus**, quamquam nusquam exstat, Santen 307 recte coniecisse videtur, *in retusos* M.)
inscitia 2237 *in metra peccant arte, non inscitia;* haec vox usitata est.
integer 1525.
[**integrare** paulo insolentius adhibetur 1684: *post tres pedes reperta* (syllaba) *nomen integrat* = plenum reddit; Cic. Lucr. Verg. Liv. Tac. Gell.]

Verba frequentativa et intensiva:

cantare 1886 *hymnum,* 1892 *Ianum,* 2492 *cantare quae solemus;* ita opt. scriptt.
cantitare 2854 *Musis cum lyricum refert eundem consonantia verba cantitasse;* hoc verbum iam ap. Ter. Afran. Cic. Varr. invenitur, item ap. Suet. Apul. Gell. Amm. Augustin.
citare 143 usitate adhibetur: *hanc edere vocem quotiens paramus ore, nitamur ut O*[1]) *dicere, sic citetur ortus;* idem verbum Lachm. 1845 coniecit: *ithyphallica porro citarunt musici poetae,* (M. *dictitarunt,* Ald. *dicarunt*); cf. Cic. de or. I 251 *c. paeanem,* Hor. sat. I 3, 7 *cantare io Bacche.*
crepitare 1937 *crepitent tibi terga pharetra* Terentianus versum Livii Andronici esse dixit; hoc verbo raro veteres, saepe scriptores Augustei aevi usi sunt.
detrectare 1368 *tertium detrecto nomen;* verbum a Cic. non usurpatur, semel a Caes., a posterioribus non ita raro.
dictitare 512 *syllabas communes Graeci dictitant* κοινάς, 654 *ille ver hoc* (scil. ἦρ) *dictitat,* 887 *quando* μνήμην *dictitat;* ita iam

1) Cf. p. 314 adn.

priores dixerunt, cum dupl. acc. Hor. Tac. Suet. *(puellas pueras et pueros puellos dictitare)* verbum coniunxerunt.

pavitare 1930 *attoniti Troes . . . pavitant;* Ter. Lucr. Verg. Val. Fl. Sen. poet. al.

†† **perscriptitare** cf. paulo infra in hac pag.

pulsare 200.

receptare 965 *litteras autem receptant saepe ternas syllabae;* eodem sensu a Ter. Liv. Tac., in Itin. Alex. adhibetur.

†**recursare**, quod verbum a Plaut. Lucr. Verg. Sen. Tac. adhibitum est, ap. Terentianum ut verba *currendi* et *recurrendi* vim propriam amisit: 1367 πυῤῥίχιος *idem vocatur, quippe et actus*[1]) *pyrrhichae tam cito motu recursat quam breves hi sunt soni,* 1395 *tunc sequentur ceteri, ut pedes sibi recursant temporum adversi vice.*

scriptitare = *scribere solere* 645; ita Plin. N. H. 13, 48 et Vel. Long. 57, 21 K verbo usi sunt, alio significatu etiam Cic. Tac. Plin. ep. Augustin.

temptare 258 ut ap. Nep. Verg. Ov. Hirt. b. G. cum inf. coniunctum est.

tractare 1354.

vocitare = *vocare* 1462, 1487, 1494, 1509, 1556, 1830, 1929. Hoc verbo Varr. Lucr. Cic. Nep. Liv. Plin. Tac. Vopisc. alii usi sunt. [Adde lexicis Claud. Mamert. (cf. Paucker Subr. add. l. L. p. 21) et Quer. 47, 19.]

Haec verba solus usurpavit:

[**absonare** 2024 secundum Sant. ad v. 307, sed hoc verbum saepius adhibitum esse apertum est, quod in Corp. gloss. II 5, 18 haec leguntur: *absono* ἀπηχῶ, ibid. 19: *absonui* ἀπήχησα.]

congregalis 1317 *vinculum nam signat ista congregale dictio* (scil. *syllaba*). [*Congregabilis* apud Cic. de off. I 157, Ambros. de off. I 27, 128, Eulog. in somn. Scip. p. 402, 6 B.]

disserare 98 *vocalia rictum nisi iuncta disserarint.*

dissonorus 190 = *dissonus.*

docimen 1932 *inserit Inoni versus puto tale docimen; documen* semel ap. Lucr. VI 392 exstat.

fulgidulus 225 *fulgidula notabo milto.*

[**inretusus** 307 coni. Santen; cf. p. 317 h. l.]

limula 284 cf. supra indicem deminutivorum.

perscriptito 340 ἄλφα ἰῶτα λάβδα σίγμα *lege metri cogimur syllabis perscriptitare, non figuris singulis;* (*perscribo* 1626).

[**sesquatus** 1577 ap. Augustin. mus. I 9, §§ 17 et 18 atque IV 9, § 10 invenitur.]

[**tenaculum** 29 verbum Santen a Saxone grammatico in Hist. Danic. VII p. 158a usurpatum esse dicit.]

trilongus scil. pes 1401 (ita Diom. 479, 1 solus *tribrevis*).

1) Sic malim pro *aptus.* Nam si *aptus* cum M legis, quomodo *et* explicas? et quos sonos hic putas commemorari?

Sed haec omnia fere metrorum legibus coactus posuisse videtur pro illis: *dissonare, congregabilis, reserare, dissonus, fulgidus, lima, perscribere*[1]).

Sed Terentianum vocabula novare non studuisse et ab Apuleio Tertulliano[2]) Hieronymo Augustino longe distare elucet. Immo satis cautum et diligens iudicium in verborum delectu praebuit, ut etiam hac re eum saec. II. non posteriorem esse probabile fiat. Neque enim habet verba desuperlativa quae inde ab Apuleio leguntur (cf. Roensch, It. u. Vulg. p. 172 sq. et dissertt. Apul.), aut a comparativis derivata, quae praeter alios eorum temporum scriptores etiam Papinianus ICtus praebet (cf. Leipold p. 48) aut decomposita praeter *superaddere* 1988, quae iam in argentea quam vocamus Latinitate non ita rara sunt (cf. Draeg. Hist. Synt. I^2 p. 138) [illud ipsum verbum *superaddendi* iam Verg. ecl. 3, 38; 5, 42 et Prop. II 13, 33 habent, e posterioribus Chalcid. Tim. 346][3]). Pauca idem habet neque fere nisi 'communis usus' verba frequentativa sensu non mutata aut verba cum *in* privativo composita, quae omnia saepe leguntur apud Apuleium et Tertullianum.

Immo Terentiani in verborum usu proprietas haec potissimum est, ut non multa verba obsoleta aut poetarum tantum usu retenta adhibeat, sed et saepius verborum notiones inflectat immutetque et quam maxime translatis sententiarum formis verbisque tralaticiis utatur. Nam quamquam huic rei favit, quod multa verba usu contrita propriam vim plane amiserant, tamen ipsum audacius interdum verba transtulisse non est quod negemus. Sed quod verba interdum inusitato sensu atque singulari adhibuit, fortasse inde repetendum est, quod Mauri non antiquitus sermone Latino usi erant. Praeterea saepius poetarum more simplicia verba pro compositis et vice versa composita pro simplicibus posuit atque etiam alias poetarum licentias sibi sumpsit[4]).

Graeca autem verba praeter exempla et artis vocabula ab auctoribus desumpta haec tantum babet:

---

1) Septimius Serenus audacius nova verba finxisse videtur; nam in fragmentis a Terentiano commemoratis haec verba leguntur: *Aborigineus* 1900, *avipes* 1464, *cardineus* 1895, quae alibi non exstant.

2) Hauschild in diss. 'Die Wortbildung Tertullians' I p. 30 Tertullianum adhibere contendit vocabula desinentia in:

-tio	142,	in	his	ab	ipso	formata	96,
-tus (IV. decl.)	47	„	„	„	„	„	35,
-tas	46	„	„	„	„	„	40,
-men (mentum)	18	„	„	„	„	„	17,
-bilis	82	„	„	„	„	„	71,
-ivus	20	„	„	„	„	„	20.

3) Omnino verborum cum binis praepositionibus compositorum nullum genus numerosius est quam eorum quorum praepositio prior *super* est, cuius generis 96 — in his 33 a veterioribus, 63 a recentioribus usurpata — sibi cognita esse Paucker in Subr. add. l. L. p. 21 adn. 15 dicit.

4) Haec quae de verborum usu dixi, ne longus sim, exemplis non

ceryx 531 *sic* ἰοὺ ἰοὺ *tragoedus Graius et ceryx sonat;* Sen. tranq. 4, 5.
chorea 2144; Lucr. Varr., poetae aevi Aug., Manil. Mart. Claud.
chorus 1958 *in tragicis plerumque choris deprenditur unus* (scil. versus) *insertus multis non una lege creatis;* 2135 *in tragicis iunxere choris hunc* (scil. versum) *saepe diserti Annaeus Seneca et Pomponius ante Secundus.* Ergo corrigendus est Krebs, qui haec habet: '*chorus* in der Bedeutung *Chorgesang, das Lied des Chors,* ist *N. L.* (i. e. post a. 600 p. Chr. n. dictum) und ohne alte Autorität für *canticum, chori carmen,* da es nur die *Chorsänger* bedeutet'.
dialectos 649; lexica unum locum adferunt: Suet. Tib. 56.
eunuchus 1962; Ter. Cic. or. 232. Caes. b. c. III 108, 1.
heros 1609 *hexametris heroum,* 1647 *acta heroum,* 2164 *Troius heros* (hoc e Verg. sumptum est), 2747 *heroum factis;* vox a Cic. Verg. Ov. al. adhibita est.
hymnus 1883, 1886, 1934; Sen. fr. 88 et Eccl. (Lact. Prud. Ambr. Augustin. Hieron. Beda al.), cf. Georg. et Krebs, quorum ad exempla versus Terentiani addendi sunt.
melodus 1439 *optimus pes et melodis* (scil. carminibus) *et pedestri gloriae.* Adiectivum Auson. et Prud. (et alii?) usurpaverunt; cf. etiam Krebs s. v. *melodia.*
miltos 225; Plin. XXXIII 115, Ven. Fort. IX 7, 41 (*minium* vocabulum usitatius est).
palaestricus 50; Plaut. Cic. Quint. Apul. Prud. al.
schema 303 *superba schemata* (orationis); ita a rhetoribus adhibetur, Sen. contr. et Quint.
tragicus 133, 1958; vox usitata est.
tragoedus 531; Plaut. Cic. al.
tropus 303 *quae tropos omnes relinquat et superba schemata;* hoc rhetorum vocabulum a Quint. aliisque adhibetur.

Graeca autem exempla et artis vocabula Graecis litteris scripsit atque etiam 1369 vocem ἔκτασιν. Sed quamquam hac in re severiorem Cicerone epistolographo Frontone Gellio se praebuit, tamen eum certam normam secutum esse non verisimile est, neque id si factum esset, ex editione Mediolanensi accurate perspici posset[1]). Itaque Keil merito hanc editionem secutus est, nisi quod 486 εὖ, 650 ἕσπερον, 925 Νέστορος, 927 σίγμα (cf. 928 *nos*) Graecis litteris scribenda esse videntur. Idem fortasse in vocem *Achaei* v. 658 cadit[2]) et in voces *arcticon stoechion*[3]) v. 1168.

---

inlustrabo; sed ex indice verborum memorabilium, qui fortasse postea edetur, facile perspiciuntur.

1) Itidem Gellii codices de hac re nonnumquam discrepant; cf. Vogel p. 12.

2) Ut 417 Ἀχαιοί scriptum esse videtur [hoc enim magis ad litteras traditas accedit quam Ἀχαιῶν].

3) In Latinis lexicis non exstat.

De syntaxi.

Pro nominibus substantivis saepe adiectiva ponuntur atque primum quidem ea, quibus nomina substantiva cogitatione addenda sunt[1]). Nam ut *pes versus* talia, cum metro postulatur, nominibus reapse substantivis adduntur, ita saepe *syllaba pes versus locus* similia omittuntur, ut apud ICtos *actio lex* talia. Velut: 550 sq. *tempus unum iam tenemus esse correptis datum* (scil. vocalibus), *bina productas* (scil. vocales) *habere nec minus compertum erit,* 615 *productam* (scil. vocalem), 1094 sq. *cui si dactylici generis subiungitur alter* (scil. pes) *a geminis* (scil. consonantibus) *ortus, cui sit quoque tertia* (scil. littera, i. e. prima vocalis) *longa,* 1139 *primum decurre Maronis,* 1173 *secundo* (loco), 1209 *vocalis mediae* (syllabae), 1214 *vocalis primae* (syllabae), 1215 *veniensque* (syllaba), 1216 *praepositam longae* (vocali), 1219 *si fuerit correpta sequens* (syllaba) *et tertia* (syllaba) *talis iungenda est,* 1261 *siqua prior seu posterior* (syllaba) *correpta locatur,* 1263 *prior* (syllaba), 1264 *prior* (syllaba) *hic brevis est Ra,* 1268 *pro geminis* (consonis) *duplicem* (cons.), 1365 δίβραχυν *dixere Graeci, quod sit ambabus brevis,* 1503 *at qui brevibus praepositis deinde longas acceperit,* 1514 sq. *pedes gemelli urgent brevibus tot numero iugando longas,* 1517 *anapaestica* (metra) *fiunt itidem per* συνάφειαν, 1566 sq. ἄρσιν *quotiens in geminis* θέσινve *quaeres,* προκελευσματικὸς *bina dabit, sequens quaterna,* 1612 *ex geminis* (syllabis), 1652 *creticus in nostris si levia carmina pangas raro invenitur,* 1669 *heroicus omnis,* 1713 *inde duas longas pes tertius efficit ingra,* 1724 *partes heroi,* 1760 *inde duas promptum est sic remanere breves,* 1778 *cludere comma prius non timuere brevi,* 1857 *ut est anapaesticus iste,* 1867 *syllaba longa, sive est natura, seu fit ab adpositis,* 1868 *fiat paenultima longa,* 1870 *produc paene supremam,* 1881 *deprensus in imo est,* 1953 *prima sequentis,* [2056 *apelassonos* per hypostasim substantivum fit], 2181 *orta iambis,* 2198 *parva longam,* 2230 *secundo et talibus* (locis), 2247 *heroicus,* 2250 *dactylum aut contrarium* (pedem), 2875 *catalecticam supremam,* alia multa.

Alterius autem generis plurimi sunt nominativi et accusativi pluralis neutrorum ut: 61 *aspera,* 69 *recondita,* 82 *sublimia,* 228 *hirta Graia,* 325 *mea,* 326 *culpanda,* 338 *Graeca,* 345 *multa nostra,* 1062 *prava vel recta,* 1510 *multa,* 1603 *plurima,* 1604 *pauca,* 1647 *acta,* 1869 *cetera,* 2130 *dulcia pangis,* 2227 *divisa,* 2740 *iam tractata retexere,* 2803 *cetera.* Casuum autem reliquorum hos tantum mihi adnotavi: 68 *ne contenta sit obviis,* 326 *quin statim culpandà delens praebeam rectis locum,* 351 *quam multa nostra Graecis non respondeant.*

---

1) Itidem Hirt: 'Die Substantivierung der Adjektiva bei Quintilian' duo talium substantivorum genera discernit. Sed per species exempla disponere hoc loco non opus est. Conferri potest Iw. Mueller II² pp. 536 et 539.

Singularis autem neutra substantivorum vim his locis adepta sunt[1]): 74 sq. *ne sermo ambiguum sonet, ne priscum nimis aut leve,* 139 *vocale sonantes* (recte coni. Micyllus, *vocalem* M), 213 *spiret anhelum,* 323 *ardui laudem expetentes,* 411 *immixtum sonat,* (733 *hoc sonabit* = ita), 851 *in breve redacta silva,* 1077 *quin mirum magis* (= hunc casum magis mirum) *invenias, ut,* (1116 *utrumque probabis*), 1124 *finge aliud,* 1361 *ante enim breve* (= die Kürze) *est creatum, redditum longum dein,* 1389 *fiat alternum necesse est,* 1398 *duplo tenditur,* 1431 *sesculplo metimur istum,* 1663 *in medium venire,* 2129 *dulce pinus summurmurat,* 2227 *divisa iungi in unum.*

Atque etiam genetivos adiunxit, quod quidem veteres raro admiserant[2]), sed Livius atque etiam magis Tacitus numerum auxerant. Cf. 926 *versus prioris extimum,* 1135 *verbi in imo,* 1351 et 1376 *temporis duplum,* 1398 *temporum tria habebit,* (2179 *cetera tetrametri* Lachm. coni., cf. eius praef. p. XIX).

Extremum autem pro substantivis adnoto gentium nomina casu singulari poni ut: 345 *Latinus,* 458 *Achaeus,* 832, 885, 989 *Graecus,* et participia[3]) ut: 320 *tam legenti debet esse quam nobis,* 1285 *deses et impatiens,* 1378 *auribus libantis.* Utrumque autem sermonem cottidianum mihi sapere videtur.

Sed ad adiectiva ut transitus fiat, monere liceat nomina propria, id quod auctores urbani non sustinuerant, plerumque nude cum adiectivis copulari ut: 1807 *Archilochus doctus,* 1919 *generi datur auctor huic vetus Archebulus* (*vetus* cum *Archebulus* coniungendum est, cf. *Livius ille vetus* in v. 1931), 2135 *diserti Annaeus Seneca et Pomponius ante Secundus,* 2148 *doctissima Sappho,* (2155 *Atthida parvam* omittendum est), 2489 *Arbiter disertus,* 2561 *docti — Catulli.*

Sed ut iam poetae elegantissimi, saepe etiam Livius et posteriores[4]) adiectiva pro adverbiis multis locis posuit atque tam libere interdum, ut accuratum sermonem (qui est siccus et prosaicus) consulto aspernatus esse videatur. Exempla nonnulla versuum ordine disposita addere liceat: 284 *crebriore limula* (= crebrius limula; neque enim solum ad subiecta, sed etiam ad alia enuntiati nomina Terentianus adiectiva talia applicat), 1130 *spondeus rarior exit* (*rarus* a plurimis scriptoribus praedicative usurpatur, item alia Terentiani exempla[5]), 1181 *dactylus ut crebro, spondeus rarior exstet,* 1190

1) Addidi eos locos quibus neutra vice adverbiorum funguntur.

2) Cf. Draeger I² 453 sqq., Gellii et Apulei exempla p. 456. Pomponii Melae exempla Henr. Zimmermann in progr. gymn. Dresd. anni 1895 p. XI adfert.

3) Cf. Iw. Mueller II² 537. Zimmermann p. XI tres Pomponii exempla adfert.

4) Cf. Draeg. I² 352 sqq., Iw. Mueller II² 539; e Frontone Ebert p. 27 nonnulla exempla collegit.

5) Hoc non plane cadit in *frequens.* Cf. Krebs s. v.: '*Frequens* wird zwar in Bezug auf ein *Personalsubjekt* mit dem Verbum statt der

simili pes lege probatur (= similiter lege), 1221 *spondeum qualem* (= ut) *geminae fecere priores,* 1236 *similes* (= similiter) *formas quot,* 1447 *nec minus frequens iambus tribrachyn ex se creat,* 1623 *spondeus plerumque in dactylon ibit, nec interest .... quam frequens,* 1903 *longa soluta est, similis nec minus altera,* 2127 *plurimus hoc pollet Siculae telluris alumnus* (Theocr.), 2132 *noster rarus eo pastor Maro,* 2189 *brevemque crebra consequendo longula,* 2229 *versus rarus intrat,* 2278 *quadratus iste* (antecedens) *talis* (= hoc modo) *effici potest,* 2387 *veniat externus licet pes antibacchus*, 2507 *rudem sonum secuti* (si recte illud *secuti* interpretor, *rudem* pro *rudi modo* dicitur), 2539 *quae potui videor tractasse seorsa*[1]), 2682 *hunc servat stabilem modum* (haec enallage poetica est), 2690 *talem (versum) servat perpetuum,* 2692 *stabit continuum consimili modo,* 2721 *quem similem composui ex tribus,* 2842 *insero ergo spondeo medium* (scil. anapaestum) *atque consequenti.* Praeterea adverbium quod est *solum* me legisse non memini, itaque, cum adiectivum saepe inveniatur ut 219, 1044, 1060, 1097, 1135, 1649, 2032, *solum* etiam in vv. 917, 2614, 2670 pro adiectivo neutrius generis habendum est et in v. 219, ubi M falso *sola* praebet, Santenii coniectura *solas* maiorem quam Brissaei *solum* probabilitatem obtinet[2]). Eodem autem pertinet, quod adiectiva interdum non ad sua vocabula, sed ad subiectum referuntur, ut 1211 *spondeus plenus reddetur temporibus pes* (Sant. Lachm. Keil *plenis*), 1546 sq. *et* ἐπίτριτος *aeque genus est paeonicorum, totidem pedibus quia varius tempore differt.*

Sed in gradatione adiectivorum Terentianus satis cautum se praebet, ut posteriorum licentiae omnes fere desint[3]). Neque enim genetivus comparationis, quem iam Apuleius et Tertullianus[4]) atque etiam Papinianus et Scaevola ICti[5]) praebent, neque post comparativum praepositio *a*, quae inde ab Arnobio Cypriano Lactantio Anon. physiogn. legitur, apud Terentianum inveniuntur — omnino Punicae Graecaeque constructiones desunt, nisi vis *facio* cum acc. et inf. ad Graecae linguae imitationem referre —; neque superlativis immodice usus est, ut Ulpianus[6]). Quamquam semel particulam *tam* ante superlativum posuit (346 *exitus nam nostra lingua non capit tam plurimos*);

Adverb *frequenter, saepe, crebro* verbunden, aber nicht in Bezug auf ein *Sachsubjekt.*' Terentianus tamen licentia poetica usus *frequens* bis ita usurpavit, cf. supra (1447 et 1623); *frequenter* 137, 1520, 1605, 2556 al. habet.

1) Terentianus loco adverbii, quo plerumque scriptores Latini usi sunt, semper adiectivum habet (praeter hunc locum 87, 698, 990), quod singulis locis ap. Catonem et Auson. exstat.

2) Gellius octies *non solus — sed etiam* dixit, cf. Gorges p. 23, sed hoc etiam Cic. habet, cf. Krebs in v. *solum.*

3) Cf. Woelfflin, 'Komparation'.

4) Cf. Sittl, 'Die lok. Versch.' p. 114 et W. A. VII 120, 131 sqq., 595 sq.

5) Cf. Leipold p. 46.

6) Cf. Kalb, R. J. p. 132.

sed similiter iam Cic. dixit: *tam gravissimis iudiciis*, Tac.: *tam intima causa*[1]), Fronto[2]): *novit . . . . quam cupidissimus sim.* Atque etiam pro comparativis superlativos raro posuit ut 200 *imos et summos dentes*, 1385 *novissima syllaba* (contr. *prior*).

Contra cum de binis rebus agitur, saepe *primus* pro *prior* ponitur, quamquam in v. 683 inter has voces accurate distinguitur. Exempla conferri possunt haec: 191, 309, 608 (cf. 607 *prior*), 610, 1043 (sequitur *altera*), 1382, 1529, 1742, 1767, 1789, 2117, 2292, 2646, 2763, 2817.

Sed neque hoc neque quae praeter hoc de numeralibus notavi posteriorem aetatem indicant. Nam solito poetarum more pro cardinalibus interdum distributiva adhibentur ut *bini*[3]) 588, 815, 816 (nam dicendum erat: *syllaba si quando duas postulabit consonas*, non *syllabae . . . binas*), 1129, 1370. Atque etiam *bis senus*[4]) 1664 (= duodecimus) et *bis sex*[5]) 2302 et 2681 et similia multi cum prosae orationis scriptores tum poetae usurpaverant. Et quod in v. 1151 licentia poetica usus *bis decies unumque supra dactylon efficiet* dixit, omnibus temporibus aeque insolens erat.

Sequantur quae de pronominibus dicenda sunt; qua in re pronomina secundum ordinem litterarum disposui.

Index pronominum.

Aliquis post *nisi* 679: *nam nisi insequatur aliqua consonantum littera.* Idem apud optimos scriptores raro invenitur, saepius apud posteriores. Cf. Draeger I² 89 sqq.

Alter. De genetivo cf. p. 300. Exemplis poetarum a Neuio II² p. 253 collectis adde Sammonici v. 221 *altĕrius* et 828 *illĭus*.

Hic. Formas in *ce* exeuntes nisi *ne* syllaba addita post veteres scriptores nemo adhibuerat, Gellius Apuleius Terentianus veterem usum repetierunt (cf. L. M. p. 386, Neue II² 203 sqq.). *Hisce*, quod Terentianus in v. 102 ponit, apud Gellium 20 locis exstat, idem aliis casibus *ce* decies addidit (cf. Gorges p. 9). Obsoletae autem hae formae fuisse videntur; nam quamquam Priscianus (cf. Neue l. c.) his casibus qui in *s* desinerent frequenter *ce* a poetis et oratoribus euphoniae causa suis temporibus addi contendit, L. Mueller e poste-

---

1) Cf. lexica sub voce *tam*.

2) Cf. Ebert p. 27 (apud Front. p. 180, 8 ed. Nab.).

3) Huius usus exempla Neue II² 170 et Draeg. I² 107 e poetis Plaut. 1, Verg. 7, Hor. 1, Tib. 1, Ov. 9, Prop. 1, Sen. tr. 1, Stat. 3, Sil. 1, Mart. 1, Claudiani 1, (praeter quos Draeg. Manil. Auson. Sedul. commemorat), e prosae scriptt. Auct. bell. Alex. 1, Liv. 3, Vitr. 1, Plin. 3, Iustini 1 adferunt.

4) Cf. Neue II² 170 sq.

5) Cf. Neue II² 174, Draeg. I² 109.

rioribus bina tantum Prudentii et Sidonii exempla adfert. Dativus *hŭīc* ante vocales 1375 et 1396, ante consonantes 793[1]), 1472, 1919 invenitur; idem secundum Priscianum bis apud Statium disyllabus est, praeterea singulis locis apud Avien. Sidon. Tert. (?) adv. Marc.; cf. Neue II² 206 sq.[2]). Terentianus autem posteriorem produxisse videtur, quod *c* litteram duplicem esse existimabat; cf. v. 1658 sqq. *Hic* pronomini relativo 1599 et 1679 respondet (1599 *iis* M, *his* Briss.).

Idem saepe ponitur, ubi particula coniunctionis deest, ut hoc pronomine tamquam vinculo sententiae copulentur, itaque interdum cum *que* componitur 2275 et cum *quoque* 1820, 2022 et cum *et* (= *etiam*) 2428, 2626 et cum *hic* 1027, 1839, 2160. His autem tribus locis *haec eadem* atque hoc ipso ordine legitur. (Ritschelii sententiam, qua hoc pronomen ante pronomen demonstrativum ponendum esse putabat, G. Niemoeller in lib. suo: 'De pronominibus *ipse* et *idem* apud Plautum et Terentium' a. 1887 edito exemplis e Plauto collectis refutavit.) Propter metrum *īsdem* 362, 441, 1075 legendum atque 1153 etiam traditum est.

Ille pro *is* 167, pro *hic* 476 et 947 (an utroque loco *iste* scribendum est?). *Hic — ille, ille — iste* saepius opponuntur, *ille — alter* 1417. Pronomini relativo saepius respondet. De *illĭus* cf. paulo supra s. v. *alter* et p. 300.

Ipse inde a Minucio Fel. et Tertulliano pro *idem* positum Terentianus non habet. Cf. Sittl, 'Die lok. Versch.' p. 115.

Is, quod Vitruvius, cum *ille* quinquies, *iste* semel habeat, plus mille locis praebet (cf. Praun p. 83), apud Terentianum iam raro exstat atque in linguis Romanicis plane deest. De *ĕi* 605 et 1542 forma vetusta cf. Neue II² 193.

Iste saepissime pro *hic* ponitur, itaque *iste* et *ille* (= *hic — ille*) contraria sunt: 1398, 1668. Cf. Ebert p. 19: '*Iste* a Frontone multo saepius quam ab aliis usurpatur'. Itemque Apuleius hoc pronomen adamavit. Cf. Kretschm. p. 90. Unum Gellii locum Draeger commemorat; idem duos Augustini locos, in quibus *ille* et *iste* inter se opponuntur.

Nullus 1137 *nullaque*, 1281 *nulloque*, 2415 *aliusque nullus* sermonis cottidiani sunt.

Quanti = *quot:* 1971 *quantos potui cognoscere Graios*. Haec pronomina *quanti tanti* similia abusione sensim invalescente ut πόϲοι pro multitudinis pronominibus posita sunt. Ex exemplis a Pauckero in Subr. scrut. p. 51 repetitis auctisque, ut antiquiora dubia omittam, haec addo: Prop. I 5, 10 (in neutro *milia quanta*), Stat. Silv. IV 3, 49 al., Iustin. XII 15, Apul. Ascl. 37. Saepius iam Tertullianus ita locutus

---

1) Sed hic *Lachm.* propter verba *una in syllaba* non sine causa *aut huic sic* scripsit; *an huic* M.

2) L. M. p. 269 hoc ultimorum temporum esse dicit.

est, deinde Arnobius Lactantius alii. Cf. Sittl, 'Die lok. Versch.' p. 119, W. A. III 30 et 33, ne Buenemannum Hildebrandum alios commemorem; cf. etiam Schmalz ap. Iw. Mueller II^2 549, in n. 28.

Qui. *cuī* saepe, ut erat legitimum. *cŭĭ* interdum in primo et tertio libro: 138, 234, 257, 1511, 2567; id quod primus Seneca duobus locis fecit, postea Martialis quattuor, Iuvenalis duobus locis, Prudentius octo, cf. L. M. p. 269 sq. et Neue II^2 229. *Cŭĭque* 183 trium syllabarum est, quod ipsum quoque Prud. bis habet, cf. ibid. In v. 1533 autem etiam *cŭī* posuit, quod L. M. ultimorum auctores temporum admisisse dicit. *quīs* (dat. aut abl. plur.) 403, 529, 906, 1067, 1074, 2223, 2395, 2572; haec forma usitata erat, cf. Neue II^2 234.

Quicumque cum fut. 1019 et 1814; cum coni. 207: *quascumque deinceps libeat iugare voces, mutare necesse est;* cf. Krebs II p. 414 s. h. v.: '*Quicumque* wird wohl vereinzelt im *A. L.*, öfters erst im *Sp. L.* mit dem Konj. verbunden' (sequuntur singuli Plaut. et Hier. loci). Sed etiam Suet. et Gell., saepius iam Lactantius et posteriores id admiserunt, cf. Draeg. II^2 526. Verbum non regit: 319, 546 *(ut prior quaecumque curret),* 938, 1030, 1751 *(quemcumque duorum);* adde 2440 *quacumque partem tertiam si detrahas.* Cf. Kühner II p. 789 et Krebs l. c.: 'Von Livius an ist der absolute Gebrauch von *quicumque* häufig'.

Quidam, 3 *quidam qui,* 987 *dixerit si forte quidam.* Pluralis repetitur (= *pars — pars,* quod in v. 90 sq. legitur) in v. 86: *elementa . . . vocalia quaedam memorant, consona quaedam.* Ita Cic. Liv. Tac. pluralem adhibuerunt.

Quilibet 547, 667 *(nec ulla . . . quaelibet),* 727, 808, 1214, 1627.

Quis pronomen indefinitum usitate adhibetur.

Quisque 1) particulam *ut* comparativam sequitur: 148, 183 (*cŭĭque*, cf. paulo supra s. v. *Qui*), 226, 521, 2508 (nullo loco superlativus sequitur ut interdum etiam in aurea et in argentea latinitate, cf. Draeg. I^2 102).

2) ad particulam se non applicat: 287 *(an satis sit litteris singulis discreta recte quae cuique est nativitas)*[1]), 513, 1063 (in exemplo), 1349, 2339 (*ut* [part. condic.] *quodque metrum lege condatur sua).* Neque apud optimos scriptores hoc deest et in argentea latinitate saepius invenitur.

3) vim relativam generalem habet: 2338 *nihil nocebit, quisque curret ceteris.* Huius autem usus praeter Plauti multa et unum Terentii exempla Neue II^2 249 Ciceronis Livii Ulpiani bina, singula Quintiliani Apulei Minucii Fel. Cypriani posteriorum adfert. Addenda sunt praeter alia Tertulliani duo; cf. W. A. VI 268 sqq., VII 476.

Quisquis 1353 cum indic. construitur.

1) Dubito num versus recte traditus sit. Fortasse positum erat: *cuique quae est nativitas;* Lachm. *quae cui est* scripsit.

Quivis 1697: *namque ex praedictis paene est ut regula quaevis inventa versum comprobet.*

Sui. Pronomen reflexivum a Terentiano ad actionem reciprocam exprimendam adhibetur. Nam quae formae apud antiquos usque ad Livium praevaluerunt — 1) *inter se,* quod postea non nisi ab Hieronymo Ciceronis imitatore et ab ICtis grammaticis historicis praefertur; 2) *alter alterum*, *alius alium, alteruter alterum*, *uterque alterum, uterque utrumque* alia; 3) substantiva repetita ut *vir virum*[1]) — quod in cottidiano Terentiani sermone desunt[1]), non mirum est.

Sed pro *inter se* simplex pronomen reflexivum apud verba coniungendi disiungendi similia legitimum esse C. Goebel[2]) demonstravit, itaque haec Terentiani exempla urbana sunt: 60 *iunctae sibi syllabae,* 1013 *aptas natura iungere secum,* 1260 *quae secum iungi possunt,* 1331 *sive praesint alteri vel sibi cum copulantur.*

Reliqua autem reciprocae exempla actionis sunt haec: 15 *nervis mollibus invicem iunctis,* 1395 *ut pedes sibi recursant temporum adversi vice,* 1413 *nomina vertens vicissim,* 1898 *sibi vicissim cedere,* 2039 *quae vicibus tempora commodant*, 2071 *neque cedunt repetita vice longae brevibus,* 2334 *uterque quia sibi est contrarius,* (2880 *nunc longas brevibus brevesque contra alterna vice commodando longis*).

Pronomen reflexivum iam apud Vergilium Horatium alios poetas invenitur, postea apud Apuleium[3]), verba *invicem vicissim mutuo* inde a Livio usurpantur, imprimis autem inde ab altera saec. p. Chr. n. II. parte. Cf. Ph. Thielmann, 'Der Ersatz des Reciprocums im Latein. in Arch. f. lat. Lexicogr. VII 343—388. Cf. etiam Krebs s. v. *vicis:* 'Erst mit Livius finden wir *in vicem,* zunächst noch mit *inter se* verbunden, zum Ausdruck des reciproken Verhältnisses .... Dann liess man im silb. Latein *inter se* weg und brauchte *in vicem* allein, vgl. Plin. ep. VII 20, 7' et eundem s. v. *vicissim:* '*N. L.* ist *vicissim* in der Bedeutung *untereinander, gegenseitig,* für *inter se* oder *mutuo.*'

Semet 304 et 666 invenitur (*egomet* Gell. habet, cf. Gorg. p. 9); *sese* 1342; idem 1447 a Lachm. scriptum est, cf. p. 340 huius libri.

Talis saepius, ut est cottidianus sermo, pro pronomine demonstrativo (simplici) *is* vel *hic* vel *ille* ponitur ut: 12, 20, 1426, 1665, 2272, 2428, 2689 *(talem quem),* 2715, 2754, 2954.

Saepe ponitur, ut exempla inducantur, ut 1666, 1674, 1700, 1708, 1737, 1770, 1804, 1841, 2468 al.

Neque raro adverbia pro illo *qualis* huic pronomini *talis* respondent, ut 1400 *forma talis est quando anima dicimus,* et similiter: 1241, 1948, 2945 al. Quod sermonis inculti est.

---

1) Z. Dembitzer (De ratione quam Plautus potissimum et Terentius in reciproca actione exprimenda inierint, Cracoviae 1886) idem in Afros cadere demonstravit.

2) Über *se* und *inter se* in Jahrbb. f. klass. Phil. 1888 p. 271 sq.

3) Decem exempla Becker p. 43 et Koziol p. 156 contulerunt.

Eiusmodi et *huiusmodi*, quibus vocabulis postea *talis* plane depellitur, quamquam *talis* etiam apud Terentianum vim suam amisit, Terentianus vitavit. Fronto autem *eiusmodi* duodecies, *huiusmodi* semel habet, Tertullianus *eiusmodi* iam cum praepositionibus coniungit; cf. Sittl, 'Die lok. Versch.' p. 131 sqq., Kalb, R. J. p. 7 sq.

Tantillus 25 *tantillo tenui trahens* in M legitur, sed recte Parrhasius *tam filo* coniecisse videtur; cf. etiam Krebs s. h. v.: '*Tantillus* . . . . ist fast nur *A. L.*, indem *Kl.* und später *tantulus* dafür gebraucht wurde'.

Tantus 2369 *auctore tanto* neglegenter dixit pro *auctoritate tanta* vel *auctore tali. Tantum* 353 *(lingua non tantum potest)* pro adverbio posuit.

Tot 1515 et 1762 = *totidem.*

Totidem 1275, 1547, 1616, 2080, 2610; divisum 2719 *totque itidem.*

Totus. *toti* = *omnes* 700 *syllabas sed pes habebit quattuor totas breves;* cf. Draeger I § 53: 'Der Plural *toti* statt *omnes* kommt bei Plaut., Dichtern u. Spp., (ut ap. Sen. et Apul.), aber nicht in klass. Prosa vor'. Plus de hac re ap. Iw. Mueller II 549 in n. 28 invenies.

Ullus 407, 515 (*nulli vocalium* M; sed vel metro *ulli* flagitatur), 1661, 2082.

Unus. *unĭus* 613, *unīus* 1116; cf. p. 300. *Unus* 1233 vim amisit, id quod sermonis neglegentis est.

Uterque pronominis 1) forma singulari binae res notantur: 106, 167, 190, 194, 205, 409, 1116, 1226, 1409 *(horum uterque),* 1582, 1616, 1734, 1786, 1861, 1876, 1982, 2084, 2222, 2334, 2574, 2586, 2761, 2925.

2) forma plurali: 379, 405, 661, 921, 1026, 1080, 1443, 2367; ita plurali iam Ter. Cic. (Caes.? cf. Madv. p. 472), Sall., quater Pomp. Mela[1]), Suet. (cf. Krebs s. h. v. p. 642), praeterea ter Gell. (cf. Gorg. p. 25), ter Fronto (cf. Ebert p. 21) usi sunt.

3) plurali plures res signantur: 1575 *paeonicis utrisque (= bis quaternis).*

De forma *utrĭusque* 409 cf. Neue II² 256 sub num. 50 et p. 300 huius libelli.

Sed transeo ad syntaxim casuum, quam praepositionum index sequetur.

---

1) II 48, II 87, II 67, II 72, cf. Henr. Zimmermann, De sermone Pomp. Melae (prog. gymn. Dresd. 1895) p. XIV.

De syntaxi casuum.

Genetivo

partitivo Terentianus interdum signat, quod scriptores elegantes uno eodemque casu substantivi cum adiectivo aut pronomine coniuncti exprimere solent. Sed hunc genetivum, quem Kritz[1]) e sermonis vulgaris usu repetit, e poetis raro iam Plautus Catullus Lucanus, e scriptoribus Sallustius, compluriens Livius, saepe Fronto Apuleiusque praebent[2]). Terentiani autem exempla haec sunt: 406 *nec fuit longis iuganda vel brevis vocalium,* 515 *ulli vocalium,* 647 *nominum multa,* 679 *aliqua consonantum littera,* 786 *quattuor solis adhaeret consonantum litteris,* 808 *cuilibet vocalium,* 1502 *illum ionicorum,* 1750 *pedum quemcumque duorum = utrumque pedem,* 1784 *hoc ipsum iuris habere.*

Genetivos qualitatis autem ut *duorum* (aut plurium) *temporum esse* (356, 407, 558, 583, 585, 2213), *soni alicuius* (400, 488, 565, 720, 764), *iste quinque pedum* (1723), *quod* (scil. metrum) *sit quinque pedum* (2149), *pes eiusdem generis* (1881) similia conferre vix opus est.

Quod in v. 2182 *tui tenax vigoris* legitur, iam inde a Verg. et Hor. poetae et prosae scriptores idem vocabulum cum genetivo coniunxerant[3]), neque illi *pars (consonantum) muta soni* (v. 91) similes apud priores desunt genetivi relationis.

In v. 2323 autem *versu iambi* pro *versu iambico* ob metrum insolenter dictum est.

De dativo

quae proferantur pauca digna sunt. Neque enim abhorret ab urbana latinitate dativus verbis simplicibus *copulandi iungendi iugandi* adsertus[4]) ut: 808 *nexa ... cuilibet vocalium,* 848 *quibus iungi queant,* 875, *seu iugetur alteri*, 1321 *sive secum vel sequenti copulatas syllabae,* 1331 *vel sibi cum copulantur* (cum antecedat: *sive praesint alteri;* concinnius fuisset: *sive secum copulentur*), 1639 *imis iungit exordium.*

Neque in poematis aurei aevi audaciora futura fuisse puto haec exempla: 649 *Aeolica dialectos autem mixta ferme est Italae,* 2151 *spondeum nec enim capiti locat omnium,* 2566 *pedes diversos capiti trium locatos*[5]). Sensu autem insolentiore quam structura dixit: 911 *adseruntque exordiis* et 1783 *sit qualis syllaba fini.*

Neque ita inusitati erant dativi participiis perf. pass. pro praepos.

---

1) ad Sall. Iug. 63.
2) Cf. Ebert part. I.
3) Cf. Draeg. I² p. 482.
4) Cf. Draeg. I² § 187; de v. 579 cf. p. 335 sq. huius lib.
5) Cf. Draeg. I² § 188.

a cum abl. additi[1]). Exemplis Frontonis sex ab Eberto p. 7, Gellii septem a Gorgesio p. 29 collectis Terentiani quattuor accedunt: 13 *tale exercitii genus commentum sibi dixerat,* 296 *verba si non appetita nec remota plurimis,* 322 *nec lecta multis,* 2501 *tamquam Italis repertum*[2]).

Sed ab horum notione non ita distant dativi quos vocant ethici, quorum non satis multa exempla Draeg. I² p. 433 collegit, luculentum Frontonis exemplum *(vide tibi istos equites)* Ebert p. 7 adfert. E Terentiano mihi haec adnotavi: 1720 *tu mihi leges tene,* 1745 *dactylus duplex redeat mihi,* 2090 *spondeus erit terminus huius tibi versus.*

Dativus qui ab adiectivo pendet notari hic potest: 1172 Ξῖ *quod Graecis commune videmur habere*[3]), atque etiam in v. 1596 *haec sibi quaeque prius distinguere metra paramus* menti obversari existimo: *sua cuique metro propria reddere* (cf. v. 1599 *quae lex sit ipsis.* Santenii autem coniectura *tibi* fortasse propter *ne quem* 1598 reicienda est; nam v. 811 *quis queat, si non resignet labra vocalis comes, syllabam fingās ut ante* e. q. s. in usum suum convertere vix potest). Infinitivus autem dativo superadditur: 1002 *aptius est nobis decurrere* usitate, insolenter 500 *rarum esse Graecis* ἰῶτα *subdere.*

Accusativum

regit verbum *fungendi* in v. 2975 *semelque et istud functus est.* Quam structuram, quamquam praeter comicos vetustos Lucretium Varronemque apud Nepotem Tacitum Suetonium Apuleium Iustinum (XIX 1, 1)[4]), Paulum (dig. VI 1, 43), Tertull.[5]) interdum invenitur, tamen obsoletam illis temporibus fuisse inde apparere videtur, quod Gellius ille casci sermonis amantissimus similes constructiones frequentat. Nam praeter verbum *fungendi* accusativus apud eum pendet ab his: *parcere suscensere indulgere potiri latere egere* aliis[6]).

Deinde notandum est verbum *loquendi* nonnumquam illud *dicendi* usitatum loco depulisse; nam non solum aliorum exemplo *voce edere* ut 1510 et 2838 vel *enuntiare* (218, 224, 262, 943, 1234, 1401), sed etiam *disserere* vel *tractare* significat; atque saepe: 182 *cetera l.,* 226 *ut quamque (litteram) loquemur,* 390 *diphthongos,* 804 *ut satis sumus locuti* (= *ostendimus*), 805 *natura quae sit,* 837 *ista*

---

1) Cf. Draeg. I² p. 429 sqq., Kühner II p. 239, d.

2) Huic parti addendum est: 2659 *metri genus hoc vatibus inclitis .... uno pede constat,* quod non insolentius est quam tres illi loci, quibus Gellius tempori praesenti verborum generis pass. dativos eiusmodi addidit. Cf. Gorges p. 29.

3) Hoc metro ut videtur coactus dixit, nam usitatum est *aliquid commune habere cum aliquo,* cf. Krebs s. v.

4) Cf. Draeg. I² p. 569.

5) Cf. etiam Krebs s. v.

6) Cf. Gorges p. 26 sqq.

(littera) quam loquebar, 852 *neu subesse praeter istos quos loquar casus putes,* similiter 856, 908, 1054, 1406, 1947, 2180, 2220, 2248, 2833. Item singularis verbi usus est in v. 349 *opus de syllabis quod recepi nunc loquendum.*

Ablativi

usus quam frequentissimus est et saepe hic casus ponitur, ubi vetustior sermo praepositiones flagitat. Quae licentia a poetis exorta [1]) primo iam p. Chr. n. saeculo etiam in prosa oratione dilatata est.

Itaque imprimis praepositio *in* omittitur [2]): 38 *cunctis visceribus trepidat labor* (cf. v. 37 *in digitis opus*), 166 *medio nomine locata,* 224 *has* (litteras) *versibus loqui,* 307 *labili versu,* 428 *Graeca diphthongos sed* οῦ *litteris nostris vacat* (Sant. *in* interposuit, sed de hoc versu iudicium teneo), 797 *K otiosa ceteris sermonibus,* 800 *Q vacare omni syllaba,* 804 *sumus locuti priore pagina,* 884 *syllaba prima quod nequire diximus,* 923 *syllabis sedet secundis,* 938 *syllaba quacumque sane* (x littera) *subditur vocalibus,* 1004 *spectandis pedibus quae sint nimis obvia mittam,* 1248 *eodem verbo deprensa,* 1250 *A t l a s ut Graeca sic profero voce Latina,* 1251 *uda secunda utinam nostra sic voce sederet,* 1345 *parte attollit sonorem parte reliqua deprimit,* 1506 *cum versibus istis totiens recurrat hic pes,* 1609 *suam* (vim) *tuetur hexametris heroum,* 1635 *partem imam qua et trochaeo locum dat,* 1767 *primo commate,* 1789 *spondei quos dixi commate primo posse dari,* 1793 *dactylico debet quae commate iungi,* 1864 *nulla meo sedeat turba profana loco,* 1873 *meo luco,* 1903 *similis ... altera pede consequenti,* 1906 *hoc* (scil. metro) *chorius solvitur,* 1982 *hephthemimeres servavit carmine utroque,* 1991 *ultima quae metro fuit hoc inventa,* 2099 *carminibus reperitur epodus,* 2104 *pedes versu sic reddo secundo,* 2115 *dum ne discidium verbi quarto pede fiat,* 2131 *legem toto prope carmine servat,* 2230 *secundo et talibus spondeon recipere,* 2251 *secundo iambum reddere,* 2259 *secundo nusquam iambus pellitur,* 2315 *tertio vel quinto pede,* 2323 *versu qui primus fuit,* 2330 *vel hoc vel talibus pes inseratur,* 2359 *quae* (exempla) *libro locavit,* 2490 *libris suis frequentat,* 2561 *carmine legis Catulli,* 2612 *nec ducunt numero pedum,* 2669 *nam primum minime suo solum carmine protulit,* 2681 *bis sex carminibus suis hunc servat stabilem modum,* 2699 *ususque est genere hoc carminibus novem,* 2715 *tales continuos carminibus composuit tribus,* 2748 *namque tome media est versu non apta severo,* 2763 *nec mirabere syllabae finem commate primo,* 2790 sq. *ipsa dari non hoc quo modo sunt situ.*

Deinde verbum *constandi,* quod apud Ciceronem solum praepo-

---

1) Ita ut iudicem, Draegeri exemplis sub paragr. 218 sqq. collectis commoveor, licet Rebling p. 9 id sermonis cottidiani fuisse censeat.

2) Cf. Draeg. I² § 222; Frontonis locos Ebert p. 12 sq. contulit.

sitionem *ex* regit[1]), ut apud poetas et in argentea quam vocamus oratione prosa (Lucr. Nep. Sen. Suet.) septies cum nudo ablativo coniungitur. Itidem praepositio *ex* his locis omittitur: 212 *faucibus emicat littera* (ut ap. Liv. XXXXIV 10, 6 et Ov. met. V 67, cf. Draeg. I² p. 511), 973 *syllaba quinque litteris componitur,* 701 *quis, quo nascitur quï,* 1592 *spondeis illum natum cernis sex* (contra 2386 et 2559 *ex* additur), 1608 *spondeus versum quo primum diximus ortum,* 2441 *stabitque versus octo tantum syllabis,* 2590 *pedibus duobus orta,* 2705 *tres* (versus) *binis pedibus cernimus editos* (hoc iam a Liv. Vell. Curt. Tac. cum nudo ablativo coniunctum est), 2793 *his commatibus metrum composuit.*

Tum nudus ablativus pro *ab* cum abl. ter apud verbum *exoriendi*, et semel apud verbum *nascendi* legitur, ubi peculiariter his verbis significationem *incipiendi* inesse voluit, 1035 *syllaba geminis exorta sonoris,* 1045 *qua* (littera) *proximus exoritur pes,* 1067 *quis proximus exoritur pes,* 1051 *pes nascatur certis sonoris.* Itaque etiam in v. 1235 *geminisque oriatur* legendum est, nam *creetur,* quod M habet, vix ferri posse mihi videtur. Praeterea verbum *revellendi* ut apud Verg. Ov. Stat. poetas (cf. Forcell.) cum nudo ablativo coniunctum est 1942: *duo fine revulsi,* itemque verbum *proficiscendi* 2540: *heroico profecta* (scil. metra), quod verbum ap. Cic. et Verg. hoc significatu (cf. Georg. s. v. II B 2) praepositionem *a* regit.

Ablativus temporis pro accusativo, cum actio totum temporis spatium expleat, in v. 1291 exstat: *bis quinis mensibus aeger pendebam* e. q. s. Qui ablativus apud priscos et elegantes auctores rarissimus est, magis floret apud posteriores, ut Frontonis sex locos Ebert p. 13 confert. Draeg. I² p. 534 s. n. 10 Ciceronis 2, Caes. 5, Sall. 1, Vell. 2, Val. Max. 2, Tac. 1, Suet. 2 locos adfert et apud Iustinum et Eutropium ablativum iam saepius accusativo inveniri dicit.

Reliquos ablativos causae instrumenti modi qualitatis limitationis separationis mensurae ceteros enumerare longum est neque operae pretium.

Sed unus notandus est: 1931 *Livius ille vetus Graio cognomine.*

De praepositionibus.

Praemittendum est huic parti, ut in vv. 1931 et 2763 *(Livius ille vetus Graio cognomine, nec mirabere syllabae finem commate primo)* ablativus nude cum substantivo nullo participio adiecto copulatur, praepositiones interdum a substantivis pendere atque imprimis *ex:* 491 *syllabam nec invenimus ex tribus vocalibus,* 766 *numquid hanc diphthongon ergo ex U et I sic dicimus,* 2229 *versus rarus intrat ex iambis omnibus,* 2292 *prima ex iambo,* 2373 *iunxit pedem trisyllabum*

1) Cf. Draeg. I¹ 515; Georg. unum Cic. exemplum adfert.

ex prima brevi, longis duabus, 2384 *prima pars ex cretico gignit trochaeum,* 2477 *prima ex trimetro portio est,* 2678 *epodum ex geminis subicit alterum,* 2697 *cecinit post alium brevem* (versum) *ex uno simili pede,* 2782 *ex uno choriambico versus stare videbitur* (2441 abl. nudus legitur), 2795 *choriambicos ex binis pedibus praeposuit duos,* 2860 *iuverunt animum versus ex carmine Flacci.*

Deinde praepositio *de* pro genetivo partitivo adhibetur: 1759 *cum capite alterius dactylico quae fit de commate longa,* 2318 *dum de* (hanc Micylli coniecturam recte probavit Keil, *ex* M; cf. exemplum insequens) *sequenti copulat longam alteram,* 2326 *haec de sequenti copulat longam alteram.* Atque etiam aliis locis *de* ab adiectivis vel pronominibus pendet, quod idem iam Cicero admiserat.

Reliqua autem exempla haec sunt: 806 *nulla facultas ad sonum edendum data est*[1]), 1437 *modos ludo sub armis congruentes*[2]).

Itaque Terentianus has cottidiani sermonis licentias non anxie vitavit. Neque tamen hoc saeculi tertii indicium esse puto. Nam praepositiones a substantivis multo saepius pendere quam vulgo creditur Iaenicke[3]) et Henr. Froehlich[4]) demonstraverunt et Terentianus praepositiones fere non alias adhibuit, nisi quae saepissime ita adhibentur. Cf. etiam Sittlii verba[5]): 'Häufiger wird der Gebrauch (scil. der Ersatz des Genetivs durch die Präposition *de*) bereits bei Tertullian, massenhaft aber bei Cyprian.'

Atque etiam de collocatione praepositionum nonnulla praefanda sunt.

Praeter v. 344 *polivit usque finem ad unguis extimum* et 2377 *parte ab ima*[6]) Terentianus disyllabas tantum praepositiones mihi quidem post nomina posuisse videtur. Nam in v. 1866 et quod M praebet: *primum ut semipedem post detur syllaba longa* et quod Santenio praeeunte Lachm. et Keil scripserunt: *primum et semipedem post d. s. l.,* cum solus Cicero semel (Tusc. II 6, 15) in tota latini-

---

1) Hanc vocem etiam Cic. cum *ad* et gerundio coniunxit (Font. 6, 12: *facultas ad dicendum*), item *voluntas, argumentum* alia verba; cf. Krebs s. v. *ad* p. 77.

2) Hic fortasse commemorari potest etiam in v. 2892 verba *illum prope ab ultimo pedem* insolentia esse. Sed v. 1775 exemplum *idcirco vocali a parte locavi* Terentiano indignum esse censeo. Nam *sonus vocalis, littera vocalis, pars ima* recte dicuntur, sed *vocalis pars* quid est?

3) 'Über die Verbindung der Substantiva durch Präpositionen bei Cicero.' Wien 1886.

4) 'De grammaticae Latinae locis aliquot controversis.' Hagenau 1889 et 1891.

5) 'Die lok. Versch.' p. 126.

6) Cf. Neue II² 790: 'Die unregelmäfsige Wortstellung wird, vornehmlich bei den Dichtern, dadurch gemildert, dafs der Präposition ein Adjectivum oder adjectivisches Pronomen, oder der Genet. eines Substant. oder Pronom., oder auch ein zweites in gleichem Casus mit dem vorhergehenden stehendes Substant. nachfolgt.' Ibidem satis multa exempla etiam ex optimis scriptoribus adferuntur.

tate *hunc post* dixerit, valde displicet. Neque enim *ut* ferri potest neque *et* ad totum enuntiatum referri. Sed vocabulo *et*, dixerit quispiam, verba *primum* et *semipedem* coniunguntur. Itaque Terentianus et post primum pedem et post semipedem syllabam inseri iussit? Ac non modo non ante prius, sed etiam post alterum nomen praepositionem collocavit? Ac caesura diremit? An versum caesura carentem fecit? Immo ego quidem pro *ut* lego *at* i. e. *ad*. Nam qui 1158 *accedit nomen post dactylon* dixit, idem κατὰ cύνεcιν potuit: *ad primum semipedem post dare* (= addere) *syllabam*, et ita 2009 *ad comma,* inquit, *do pariambon.*

Itaque si quae praepositiones legitime postponuntur omittimus, haec exempla restant: 506 *et Grāios ăpud* (metrorum gratia ita positum), 61 *dumos inter et aspera,* 2622 *primas inter et ultimas,* 2834 *spondeum siquidem inter et secundum.* Deinde v. 1788 *inter nostros gentilis oberrat equus* metro ita mutare coactus est: 1796 *gentilis nostros inter oberrat equus,* itemque ob metri discrimina — nam praeter *queat* nullum versus verbum in fine locari poterat — 306 *offensa sine* admisit; extremum est: 2359 *libro ..... quem dedit metris super.*

Apud autem secundum Neue II² 791 sqq. a Lucr. semel, ter a Tac. postponitur, *sine* locis Ciceronis 1, Lucr. 3, Verg. 4, Hor. 1 (adde sat. I 3, 68), singulis Prop. Ov. Sil. Nemes., binis Man. et Calp., 3 Val. Fl., 4 Stat., *super* Lucr. 2, Verg. 9, Hor. 2, Ov. 1, Sil. 1, Tac. 2, Calp. 1, Nemes. 1; sed prae ceteris praepositio *inter* post nomen poni videtur, atque imprimis, ubi inter duo substantiva intercedit media; exempla enim etiam e prosa oratione Neue l. c. et Hand in Turs. s. h. v. n. 41 Cic. 2, Caes. 3, Liv. 3, Tac. 14 contulerunt.

Itaque poetarum usum Terentianus modice imitatus est. Qua cum re compares haec: Secundum Beckerum (p. 46) Apuleius solum *propter* postposuit, Gell. iam bis praepositionem monosyllabam *de* (XII 13, 17; XIV 2, 18), Arnobius autem iam saepe *in pro ab de* post nomina collocavit, ut Terentianus ab hoc multum distet.

Sed ad singulas praepositiones transeundum est.

Ab

I. praepositio localis significat:

a) locum unde aliquid exit (Hand I 1, 1) ut 259 *aliquas* (litteras) *faucibus exsilire ab imis*[1]).

b) initium rerum aut primam partem (H. I 1, 17) ut 1095 (pes) *a geminis* (litteris) *ortus* [de omissa hac praepositione cf. supra].

c) separationem (Hand I 1, 2): 896 *priores G Latini nudam ab apice finxerant* (hoc enim propono pro *nundum,* pro quo editores *nondum* scripserunt. Sed nudum illud *ab* quomodo interpreter non

---

1) Verba cum *e* composita plerumque *e* regunt, cf. Draeg. I² 510—515.

habeo, at *nudus ab aliqua re* ipse Cicero non semel dixit et Terentianus *nudus* tralaticia notione in vv. 666, 750, 1060 usurpavit).

Similia autem sunt haec exempla: 2000 *carmine siquid ăb* (= ex) *hoc posuero* (= Hand I 5, 1) et fortasse etiam 1377 *qui quod in templis canorus a sono vocis malae auribus libantis obstat et favet spondeus est.* (Hoc enim haud scio an pro *defendere aures a sono* liberius dictum sit, sed fortasse de alia metaphora cogitandum est.)

d) regionem et locum rei *ab* aliqua parte designandae (Hand III 1; Draeg. I^2 § 285, 2—4): 1355 *nos viam metri studemus parte ab aliqua pandere,* 2274 *trimetrus duplicem pedem a capite sumet,* 2377 *parte ab ima claudicat.*

In his nihil est insueti.

II. Sed notabilis est usus praepositionis pro ablativo instrumentali positae[1]). Nam cum instrumentum, si res est, nudo ablativo notari soleat, in latinitate cum cura dicta paucis locis et prosae scriptores rarioribus quam poetae praepositionem *ab* addiderunt, cuius usus exempla Hand I p. 26—30, Draeg. I^2 p. 548 sqq. collegerunt; Ovidii exempla C. Guttmann[2]), Lucani I. Obermeier[3]) congesserunt. Ac tamen hoc in sermone plebeio multo latius patuisse ex permultis illis e Vitruvio a Nohlio in Anall. Vitruv. p. 11 collectis exemplis apparere videtur; neque igitur hic Terentiani usus posteriorem aetatem indicat.

Terentiani autem exempla haec sunt:

a) post verbum *fieri:* 169 *ipsa* (littera *i*) *consona fiet a sequenti,* 634 *i fit ab sequenti consonans,* 1020 *longa fit a geminis,* 1265 *longa fit a geminis,* 1867 *longa fit ab adpositis* (in v. 680 autem: *longa fiet additā* propter v. 679 non dubium est, quin *addita* ablativus absolutus sit. Supple *litterā*).

b) post verbum *iuvari:* 638 *temporis parte adiuvatur ab sequenti consona* (recte coni. Lachm., M *ab* om.), 775 *cui super nil ut iuvetur a propinqua consona.* (Contra 1024 *prior est iunctis adiuta duabus,* itaque etiam 1025 *subiectis aeque fiet* [scil. adiuta] praepositio omittitur.)

c) post verba activa: 111 *a littera locum sic ab ore sumit* (neque enim localis usus huic praepositioni inest) et 557: *syllaba quae duplex* (scil. tempus) *habere posset ab duabus consonis.* (Nam *habere,* cum Terentianus litteram *a* ab sequentibus litteris unum tempus, non duplex accipere doceat, non sensum accipiendi habet.)

Falso autem praepositio *ab* in v. 579 legitur: *a brevis dum ....,*

---

1) Plerisque locis etiam praepositiones causales (de *ob* et *propter* cf. infra) aptae erant, sed instrumentum quam causam usus vulgaris signare maluit.

2) In progr. Tremoniensi a. 1890: 'Sogenanntes instrumentales *ab* bei Ovid.'

3) In progr. Monacensi a. 1886: 'Der Sprachgebrauch des M. Annaeus Lucanus.'

tempori suo ab eadem consonae partem trahet. Brissaeus *consona,* Lachm. *de eadem consona,* Keil *ex eadem consona* scripserunt, sed unde duo simul vitia orta sint, non explicant, atque apud utrumque elisio longae vocalis offensioni est[1]), praeterea dativus casus *tempori suo,* nec non tota dictio *tempori suo ex eadem consona partem trahere,* quoniam vocalis partem temporis consonae, non partem consonae ad se (vel ad tempus suum) trahit. Itaque *temporis* lego, ut in v. 577 *partem temporis* exstat; atque ut in v. 593 *pars temporis consonae* legitur, ita hoc loco coniungenda sunt verba: *temporis consonae partem.* Itaque iam *ĕădem* (non *ĕādem*) legendum est, cui quod apte accedat substantivum *vocalis* ex litteris quae remanent *uo ab* elici potest. Nam postquam *temporisuo* falso distinctum est[2]), *calis* in *ab* depravari consentaneum erat. Aut prius *calis* depravatum erat; nam *s* littera saepius in M omissa est, ut 219 (cf. supra p. 323), 653, 770, 813, 990, 1400, 1932, 2132, 2681, 2853, 2878; *c* autem postquam evanuit, lacuna orta litteras *uo* cum prioribus coniungi consentaneum erat. Sed librariis gratiam habemus, quod *consonae* servaverunt; *eadem* autem subiecto enuntiati certe non minus apte quam voci *consonā* additur.

Absque.

1300 *nulla vox humana constat absque septem litteris.*

De comicorum usu cf. Holtze Synt. I p. 344. Falso legebatur apud Cic. Lucan. Quint; cf. O. Brugmann in mus. Rhen. XXXII p. 485 sqq., Draeg. I² p. 638 sq. Fronto hanc praepositionem semel cum pronomine, Gellius iam cum nominibus coniunxit (Gorges p. 11 tres locos Gellii collegit), item Apuleius (cf. Kretschm. p. 123), posteriores ut Tertullianus Minucius Felix alii particulam non raro usurparunt, plane ut praepositionem *sine.* Postquam Buenemann (ad Lact. IV 13, 8) Hand Klotz Draeger alii exempla collegerunt, amplissime de hac particula in mus. Rhen. XXXII 485 sqq. a Brugmanno, ibid. XXXVII 83 sqq. a Woelfflinio et in W. A. VI 211 sqq. actum est, cf. etiam Krebs s. h. v.

Terentiani autem huius particulae usus parcus magis Gellii quam posterius aevum indicat.

Ad

1) cum verbis simplicibus pro compositis ad locum significandum coniungitur:

---

1) quamquam apud Keilium minus quam ap. Lachm., nam in triginta fere locis, quibus longae vocales eliduntur, quinque sunt, quibus insequens syllaba brevis est.

2) Saepius autem in M verba male dirempta sunt; cf. 750 *prior quae = priorque,* 810 *quisque at si = quis queat, si* 1368 *det recto = detrecto,* 1449 *eo : et = edet,* 1477 *duos in tempora = duo sint tempora,* 1783 *qua lis = qualis,* 1903 *alter a pede = altera pede,* 1927 *Sinus quam = si nusquam,* 2001 *IVGA SITA IVGA = IVGAS ITA IVGA;* item in 571 ubi M habet *illa porro brevis quae in unam,* Lachm. autem *quae* omisit, malim: *illa perbrevisque in unam.*

1763 *iungunt ad semipedem,* 2009 *ad comma do pariambum.*

2) cum voce *proximus:*

450 *litteram namque ϵ videmus esse ad ἦτα proximam.*

Si quod solum in lexicis exemplum exstat: Euod. apud Augustin. ep. 158, 2: *ut ad finem vitae proximus esse coepit* reapse solum esset, cum hoc excusationem habeat[1]), fortasse scribendum esset *ab* ἦτα, ut Terentianus in v. 2892 *illum prope ab ultimo pedem* dixit (*proximus alicui* 919). Sed etiam Vitruvius p. 91, 3; 135, 11; 182, 4 R (cf. Eberhard p. 8) *proximus* cum *ad* coniunxit, ut de verbis in M traditis non dubitandum sit.

3) cum gerundivo coniunctum a substantivo nomine *facultas* pendet:

806 *nulla facultas ad sonum edendum data est.* Idem apud Cic. invenitur, cf. p. 333 adn. 1.

4) gradum signat:

344 *polivit usque finem ad unguis extimum,* 1373 *artis usque ad ista nescium,* 2386 *ad finem quoque manebit idem.* (*Ad* pro *usque ad* usurpatum Vitruvii aetate sermonis vulgaris erat, cf. Eberhard, append. p. 3.)

5) modum:

2399 *trimetrum fecit ad hunc modum quo claudicant et hi versus,* 2643 *ut sit versus ad hunc modum,* 2911 *versus hic ad hunc modum sonabit,* 2709 *altera vertitur ad legem similem consimilis strophe.*

Medium autem fortasse inter quartam et quintam significationem locum haec vocula in v. 203 tenet: *T qua superis dentibus intima est origo summa satis est ad sonitum ferire lingua.*

In his nihil est quod Lachmanni iudicium confirmet, at quae Langen de usu praepositionum Tertullianeo collegit, multo audaciora sunt.

Ante

plus tricies adverbialiter adhibetur ut 217 *vocalibus apte sedet ante posta cunctis,* 219 *solas patitur quattuor ante consonantes.*

Apud

in v. 506 substantivo postponitur, cf. p. 334. Nusquam insolenti sensu usurpatur, quod fit nonnumquam apud Tertullianum, cf. Langen s. h. v.

Contra

interdum adverbium est ut 1120, 1164, 1198.

---

1) Nam ante oculos obversatur *ad finem prope accedere,* ut Cic. de fin. III, 16, 52 scripsit: *ordo proxime accedit, ut secundus sit, ad regium principatum,* ubi Goer. falso coni. *a regio principatu;* cf. Hand. I 1, 4 (p. 91).

Cum.

De hac particula quae proferantur vix digna sunt; sed nota: 392 *nostra cum Graecis sonis diversitas* (*discrepare, dissentire cum aliquo* semper usitata erant, sed illud apud alios non inveni). Vocula *pariter* addita in v. 1034 legitur: *vocalis verbi pariter cum fine resistens.* Cum v. 1409 *horum uterque* (pes) *tempus aequum librat arsi cum thesi* dictiones Vitruvianae[1]) *librare cum* et *exaequare cum* comparari possunt.

Sed falso in v. 945 legitur: *nominis verbive, cuius cum Latinis sermo sit.* Nam transposita interpunctionis nota scribendum est: *nominis verbive cuius, cum Latinis sermo sit* (cf. 817 *nominis verbive cuius* ‖ *quae tenent primordia*). *Cum* est particula causalis et coniunctivum *sit* regit, qui aliter explicari non potest; *sermo* ut saepe apud Terentianum[2]) *verbum* significat. Itaque sensus loci est hic: x non praelocatur consonis (v. 936), nisi nominis verbive cuius dirempta syllaba est, quoniam haec syllaba (*ex*) Latinis verbum est (cf. etiam v. 938 et 951).

Ablativo qui dicitur instrumenti *cum* non adicitur, quod Langen p. 16 interdum apud Tertullianum fieri ostendit.

De

signat: 1) locum, de quo aliquid venit ut 187 *sonos de gemina sede profectos* (cf. Draeg. I² § 286 sub num. 2).

2) rem, de qua aliquid demitur aut cuius pars separata consideratur (cf. p. 333 h. lib.):

399 *neutra de duabus,* 783 *de novem tres separandas convenit,* 1057 *sexta littera de numero semisonantum,* 1427 *pes adest supremus unus octo de trisyllabis,* 1759 *cum capite alterius dactylico quae fit de commate longa,* 1946 *hic de genere est phalacciorum,* 2233 *quae loquuntur sumpta de vita putes,* 2318 *dum de sequenti copulat longam alteram* (*ex* M, sed cf. p. 333), 2326 *haec de sequenti copulat longam alteram.* Cf. Draeg. ibid. s. n. 3.

3) materiam, ex qua aliquid factum est aut partes, ex quibus constat:

502 *edat ut diphthongon unam de duabus vocibus* (vel *voculis, vocalibus* M), 774 *sequens casus facit quius de tribus vocalibus,* 1777

---

1) Cf. Eberh. part. I p. 13.

2) Cf. 797, 841, 1113, 1131, 1202 (contra 1258 *pars sermonis = verbum*), 1262, 1272, 1278, 1281, 1318 (?), (1335 ?), 1659, 1943, 2094, 2591. Georg. s. h. v. II 1, b haec tantum habet: 'meton., die besonderen gesprochenen oder geschriebenen Worte, der Ausdruck, Satz s. Ulp. dig. VII 1, 20; XI 7, 2, § 1; Pompon. dig. XXVIII 5, 29 u. ö. bei den ICti.' Forcell. tres Serv. ad Verg. locos adfert, adde Diom. Keil I p. 339; 340, 36; 341; Paucker Spicil. add. Rufini Cassiodori alios posteriorum locos congessit.

gemino constat de commate versus, item 2751 *de commatibus constare duobus* (cf. Lucr. IV 1225, de nudo ablativo cf. paulo supra p. 331 sq.), 2281 *pedi, quem de duobus esse iambis perspicis,* 2600 *phallica de tribus trochaeis pars est cetera,* 2941 *epodum dedisse de tribus trochaeis.* Hand alteram notionem non indicavit, cf. vol. II p. 199 atque Draeger quoque I² p. 629 hac in re minus accuratus est; prioris notionis exempla e Terentio 1, Cic. 3, Liv. 2, Petr. 1, Apul. Iustin. Flor. Treb. Gall. bina, Vop. Aur. 1, Lact. 4 adfert.

4) rem, ex qua aliquid cognoscitur:

2627 *hoc de Septimii potes iunctis noscere versibus.* Cum *ex* particula plerumque ita adhibeatur, hic usus rarus est, quamquam Hand vol. II 223 sub n. 2 et Draeger I² 630, s. n. 7,c Plauti Ciceronis Apulei Minucii Fel. Tertull. Lactant. exempla conferunt.

5) normam vel lineam et ut ita dicam originem nominis (= *secundum*):

1836 *advena sumptus et hospes de foedere temporis aequi,* 2546 *quem nos hendecasyllabum solemus tamquam de numero vocare versum.* Aegre conferri possunt, quae Draeg. I² 629 sub n. 6 adfert[1]).

Itaque Terentianus hanc praepositionem vulgo adamatam varie usurpavit, neque tamen ut Apuleius Minucius Tertullianus Arnobius Cyprianus alii posteriores pro ablativo instrumentali adhibuit.

(Versum 2881 *versum claudere de trochaeis* Santen *ditrochacis* scribens correxit.)

Ex

fere solum usitato more adhibetur:

1) = *de* 2; cf. Draeger I § 287 s. n. 5.

1612 *ex geminis* (syllabis) *longam solvet* (spondeus) *si quando sequentem,* 1697 *ex praedictis regula quaevis,* 2005 *quod ex isto remanebit commate* (tropice: 2084 *exemplar ex facili sumere*), 2292 *primam ex iambo dum sequenti copulat,* 2325 *cretico ex quo trochaeus tertiam quia separat,* 2384 *quia prima pars ex cretico gignit trochaeum.*

2) = *de* 3 (cf. Draeg. s. n. 4):

766 *numquid hanc diphthongon ergo ex U et I sic dicimus,* 2386 *hic versus ex iambis natus,* 2559 *locus . . . nec peccat pede natus ex iambo,* 2574 *ortum cum componitur ex utroque metro,* 2678 *epodum ex geminis subicit alterum,* 2782 *ex uno choriambico versus stare videbitur,* 2795 *choriambicos ex binis pedibus praeposuit duos,* 2925 *species mixtas ex utroque metro.*

3) significat rem, quae in aliam mutatur (cf. Draeg. s. n. 3 sub finem):

1011 *e brevibus quotiens longae redduntur,* 1134 *spondeus dat dactylon ex se,* 1322 *longa fiet e brevi,* 1342 *una longa non valebit*

1) Cf. etiam Krebs-Schmalz, qui s. v. *e* p. 440 hac significatione *ab* et *ex* usurpari dicit.

edere ex sese brevem, 1447 *iambus tribrachyn ex sese creat* (*ex se* falso M; aut cum Lachm. *ex sese* aut *de se* legas), 2073 *ex hoc facit* ἀπὸ μείζονος *edi,* 2148 *Aeolicum ex isto genuit doctissima Sappho,* 2201 *spondeon et quos iste pes ex se creat,* 2735 *regula quae dedit ex se tam varios modos.*

4) modum (cf. Draeg. I^2 636 s. n. 6):

1552 *ex ordine,* 2080 sq. *binis brevibus quae totidem iugare longas ex ordine semper solet et tenere legem.* Similiter Cicero *ex lege, ex iure, ex convento,* Caesar *ex consuetudine, ex more,* Terentius Vergilius Gellius alia alii dixerunt.

5) causam:

2476 *longa nam fit tertia consonante ex altera.* Plerumque *a* in talibus enuntiatis a Terentiano ponitur, sed instrumentum signat, cf. p. 335. *Ex* praepositio causalis omnibus temporibus adhibita est, cf. Draeg. I^2 p. 637 s. num. 7, sed rectius fortasse Draegeri num. 8 comparatur, ubi ea exempla in quibus *ex* pro ablativo nudo ponitur congessit; cf. imprimis Lactantii verba: *ex quo fit ut.*

6) instrumentum:

2543 *ex uno* (metro) *possunt adiuncta referri.*

Hunc usum Hand in vol. II p. 643 depravatae latinitatis esse censet neque nisi Palladii, Hygini, Emporii rhetoris, epitaphii cuiusdam singula exempla adfert, sed Tertullianum iam saepius eam praepositionem ita usurpasse Langen p. 17 ostendit.

In v. 2026 autem num Lachmanni coniectura *ipsas liget ex se tamen ambas* probanda sit nescio; fortasse vitium in *tamen* latet.

In

I. cum accusativo:

1) rem in quam aliquid mutatur usitata notione signat, cf. Draeg. I^2 655, 3, a:

381 *duae iunctae simul syllabam sonant in unam,* 1132 *pes in dactylon ire videtur,* 1622 *spondeus in dactylon ibit* (quod exemplum prope ad tertiam significationem accedit), 2347 *quos in trochaeos retro vertit creticus.*

2) partes in quas res solvitur, cf. Draeg. I^2 657, e.:

1133 *inque breves geminas longam laxare secundam,* 1445 *longam solvere in duas breves,* 1614 *prior in geminas solvetur,* 2035 *longam in geminas solvi.*

3) in formula *in tantum* usurpatur:

1166 *in tantum vegeta.*

Cf. Hand vol. III 332 sub num. 53: 'Antiqui scriptores elegantiores dixerunt *tantum.* Livius et poetae Augustei aevi *in* addiderunt eosque secuti sunt recentiores plurimi'; cf. etiam Krebs-Schmalz s. h. v. p. 642: 'N. Kl. bei Velleius und Sen. Contr. und häufig bei Tacitus ist *in* mit dem Neutrum einiger Adjektive, z. B. *in quantum, in tantum* u. dgl., für *quantum, tantum.*

4) κατὰ cύνεcιν construitur:

137 Υ *in nostra etiam verba dabat frequenter usum* (pro *recipiebatur*).

II. cum ablativo coniungitur.

Notabilia fortasse, sed non ita rara, ut non unusquisque poeta ita loqui potuerit, sunt haec: 153 *in loco sequenti,* 601 *secundo in loco,* 1741 *in primo* (scil. loco), 833 *lubrica est natura in illis* (pro illis), 1512 ἀπ' ἐλάccονοc *in nomine sic est:* Διομήδηc.

Inter

praepositione (secundum Hand s. h. v. n. 13) qualis quis in numero aliquo appareat aut valeat exprimitur. Tamen quod Terentianus in v. 910 dixit: *vivida est haec* (σ) *inter omnes atque densa littera* 'non', ut ipsius verbis utar, 'est multis in usu, sed magis poeticum est.' Cf. tamen, quae Krebs s. v. p. 700 adfert: 'Wenn somit *inter* beim Superlativ sich öfters findet, so ist es beim Positiv seltener, aber *Kl.*, vgl. Cic. Flacc. 52 *inter suos nobiles,* Cluent. 11 *adulescenti inter suos et honesto et nobili.*'

Tertullianus praepositionem interdum pro *praeter* posuit (cf. Langen s. h. voce), quod non fecit Terentianus. De collocatione huius particulae p. 334 dixi.

Iuxta

non insolenter pro *pariter* vel *aeque* ponitur:

1288 *quibus est amor et prudentia iuxta,* 2146 *adsonet omne nemus arvaque iuxta.* Similia apud Liv. Sall. Frontonem inveniuntur; cf. Krebs s. v. p. 742.

Ob

ut apud complures scriptores optimos deest (cf. W. A. I 161 sqq.). Pro causa saepe instrumentalis notio invenitur itaque ubi particulae causales aptae sunt, nonnumquam instrumentales inveniuntur, ut plerumque legitur *longa fit a sequenti consona.* Pro pronominibus autem cum his particulis coniunctis saepe ex consuetudine cottidiana *hinc inde unde* ponuntur.

Per

1) praepositionem localem his locis esse puto: apud verbum eundi 848 *consonas per omnes ire* et 997 *per syllabas ire* (= *tractare*); similia Quintiliani exempla Hand vol. IV p. 433 sub num. 6 confert; cf. etiam Draeger s. h. v. 1, e. Deinde ut in v. 2268 *simplici* (iambo) *carmen per omne evectus est* legitur, ita in v. 2071 *neque cedunt longae brevibus per synaphian* praepositionem *per* de loco, non de causa intellegendam esse existimo; cf. Hand IV 430 sq. sub n. 3.

2) causalem hic (cf. Draeg. sub n. 7):

558 *per hoc producta* (= *propterea*); quem usum Draeger I²

p. 608 inde ab argentea latinitate apud Sen. Quint. Plin. ep. Suet. Iustin. inveniri contendit.

3) instrumentalem (cf. Draeg. sub n. 3):

663 *sensu per artem tradito.* Cf. Draeg. l. c.: 'schon früh, vereinzelt sogar in klassischer Zeit, namentlich aber seit Livius, gebrauchen es die Prosaiker, um mit dem Ablativ zu wechseln.' Varronem autem secutus haec dixit: 772 *cuii per duas i scribere,* 898 *amurgam quae vetuste saepe per c scribitur, esse per g proferendam;* itaque etiam haec non vituperanda sunt: 1454 *nulla enim non longa solvi per duas breves potest* et 2352 *longam resolvi per duas dixi breves.*

Cf. Langen p. 12: 'Innumerabilibus fere locis Tertullianus hac praepositione usus est, ut instrumentum significet quo quid fiat. Quod quamquam etiam apud multos alios scriptores factum esse videtur, tamen nescio an nemo totiens hanc dicendi rationem usurpaverit quotiens Tertullianus.'

4) modalem (cf. Draeg. sub n. 6):

1993 *carmina per varios dare sonos,* 2247 *heroicus quare pedes per singulos at iste binos scanditur.*

Haec non mira sunt.

5) Cf. Hand III, 6. Cum pronominibus personalibus composita haec praepositio indicat: a) agi rem sine alterius ope:

558 *ac per hoc producta, per se quae duorum temporum est . . . temporis parte atque duplo sit necesse est praedita.* (Totum locum adscripsi, quod contra editores verba *per se* insequenti enuntiato adiungo. Nam *producta,* cum totum locum inde a v. 545 respicies, his vocabulis non indigere senties, contra verba *quae duorum temporum est,* nisi voculas *per se* addimus, valde languent et supervacua sunt, additis optime stant; neque Terentianus pronomine relativo enuntiata incohare amat), 769 *temporum per se duorum non requirat consonam.*

b) rem solam esse:

666 *per semet ipsae* (vocales) *quando syllabam nudam copulant,* 990 *syllabam per se seorsam.*

Huius autem usus satis multa optimorum scriptorum exempla Hand p. 441 sqq. congessit.

Pone

praepositionem apud scriptores aureae quam vocamus aetatis rarissimam esse Draeg. I² p. 599 dicit. Complures Gellii locos Gorges p. 11 collegit. Terentianus autem haec exempla habet: 242 *agiturque pone dentes,* 1170 *sequitur sed pone priorem* (ita Verg.: *pone sequens;* cf. etiam praepositionem insequentem et Krebs s. v. *pone*).

Post

saepe pro adverbio usurpatur ut: 1479, 1541, 1601 (nota abundantiam sermonis: *post hinc deinde*), 2215, 2803. Ex abundanti autem

verbo sequendi additur: 685 *consonans post secuta,* 717 *U post insecuta,* 1551 *pedibus post secutis.* Quam neglegentiam iam antea amplexi sunt Sallustius (Iug. 55, 3 *post gloriam invidiam sequi,* quod fortasse proverbium erat) et Fronto (p. 94, 22 N. *post diem natalem tuum nox quae sequitur*). Saec. V. autem Paucker in 'Subr. add.' p. 16 verbum *postsequi* interdum inveniri monet.

Praeter.

1302 *quicquid audis praeter istas.*

Pro

1) = *loco* vel *vice* alicuius rei:

801 *C quod eius invenitur posse subdi pro sono,* 1164 *pro duplici gemina est si consona,* 1268 *pro geminis duplicem subiungere.*

2) = *pro ratione* vel *pro portione:*

129 *pro temporibus geminum ministret usum,* 1286 *pro captu lectoris.*

Utriusque usus exempla scriptorum optimorum — est enim uterque legitimus — Hand IV 581 sqq. collegit.

Prope.

918 *fauces prope ipsas.* Ita interdum scriptores elegantes locuti sunt, cf. Draeg. I² § 257 (p. 588).

Pro adverbio ponitur: 119 *genuinos prope ad ipsos; prope ad* Plaut. Liv. Sen. alii dixerunt. Item 2829 *illum prope ab ultimo pedem;* ne haec quidem coniunctio *prope ab* inusitata erat.

Propter

particula, ut apud multos argenteae latinitatis scriptores deest, fere non usurpatur; cf. in v. *ob.* Sed 373 *propter quod* invenitur; cf. Krebs in h. v.: '*propter quod* und *propter quae* ist *N. Kl., Kl.* nur *propterea.*'

Sine.

1297 *sine fine* poetarum trita est locutio, cf. W. A. I 364. De collocatione 306 *offensa sine* cf. p. 334.

Sub

I. locum significat:

a) 1437 *sub armis* dictio usitata erat, a Cic. Caes. Liv. al. adhibita.

b) E poetarum sermone assumptus est usus in v. 257 *quae cui sit sub ore sedes* (pro *in inferiore parte oris*), cf. Verg. *vidimus sub vallibus urbem,* Prop. *tuta sub exiguo flumine nostra ratis,* Ov. *silvis inventa sub altis.*

II. tropice adhibetur:

a) ad indicandam potestatem:

1292 *pendebam ambiguum trutina sub iudice corpus; sub iudice* Hor., similia multi praebent.

b) condicionem:

1611 *sub alterius consonat* (spondeus) *vocabulo;* etiam hoc usitatum erat; cf. Krebs in vv. *nomen, persona, sub.*

c) dictione non plane insolenti scripsit:

561 *hoc sub exemplis videbis esse planum nominum;* certe apud Tac. ann. 3, 68 et 4, 11 (cf. Draeg. I^2 662, § 299, 1, e) et apud Mar. Vict. p. 38, 14 K. eadem invenitur.

Super.

2359 *libro .... quem dedit metris super. Super* pro *de* Caesar nusquam, Cic. in epistulis tantum, Nep. et Sall. singulis locis usurpaverunt, sed numquam ex usu evanuit, immo apud Livium et posteriores magis magisque recepta est. Cf. Draeg. I^2 664 et Krebs in h. v. (ICtorum exempla Kalb R. J. p. 105 collegit; cf. etiam linguas Romanicas.) Cum iam Gellius immodice *super* pro *de* usurpaverit, Terentiani parcus usus magis secundum quam tertium saeculum indicat.

Supra

adverbium est: 1151 *bis decies unumque supra* (= *vicies semel*, cf. p. 324) et saepius, ubi superiorem locum libri significat, ut 1177 *ut supra ostendi.* Particula ipsa his locis non insolenter adhibita est, cf. Krebs in h. v.

Tenus

ne optimi quidem scriptores vitaverunt. Terentianus hanc particulam in v. 120 adhibet: *i renidet supero tenus labello.* Praeterea in *hactenus* et *quatenus* servata est (cf. ind. partt. in his vocibus).

Trans

in exemplo 616 = 770 *trans mare* (Hor. aliique multi).

Ultra

2591 adverbium est: *nec exit ultra.*

Singula percensuimus comparavimus neque quicquam invenimus quin saeculo secundo exeunte dici potuerit. Iam universe cum comprehendimus, quot Terentianus licentias admiserit, quot vitaverit, itidem Terentiani usum praepositionum quam maxime ad saeculi secundi exeuntis sermonem quadrare censendum est. Certe Tertullianus in usu praepositionum, Arnobius rhetor, cuius Lach-

mannus Terentianum aequalem fuisse existimavit, in collocatione harum particularum multo audaciora praebent.

Sed iam ad verborum syntaxim transeundum est, cui coniunctionum et adverbiorum index adicietur.

De verbis.[1])

De temporibus imprimis liber futuri usus notandus est, qui a severo Ciceronis et excultae latinitatis usu abhorret, sed in sermone cottidiano semper frequens fuit[2]). Et apud Terentianum non solum in enuntiato primario, cum in secundario talia respondent qualia sunt: *opus est, necesse est, potest,* verba imperativae formae aut gerundivae, futurum tempus invenitur, sed saepe nullo discrimine facto tempora praesens et futurum inter se respondent et iuxta ponuntur. Quasi legitimum autem hoc futurum est, si enuntiatum condicionale modi coniunctivi accedit. Qua ex re Terentianum non ita multo post latinitatem argenteam quae vocatur fuisse concludi posset, si recte Draeger II² 721 contenderet: 'So scheint diese Construction seit der klassischen Zeit immer mehr zu verschwinden.' Sed vereor ne Draeger falso iudicaverit, quamquam exemplorum copia undique congestorum eum refellere nunc non possum. Tamen unus sit pro omnibus; apud Marium enim Victorinum haec enuntiatorum condicionalium forma frequentissima est; cf. Hense p. 114 sq.

Ab altera autem parte etiam in enuntiato pendenti pro coniunctivo particulis *si nisi* aliis recto nonnumquam futurum ponitur. Itaque tempus futurum vim propriam apud Terentianum saepe amisisse et potentiali quodam significatu adhibitum esse iudicandum est. Neque hoc mirum est respicienti Romani ingenii propriam et strictam enuntiatorum copulationem in Terentiani sermone cottidianae consuetudini cessisse. Nam in hac ille usus frequens erat, cf. H. Lattmann, Gebrauch der Tempora im Lat.: 'So findet sich das (scil. modale) Futur namentlich bei den Komikern und in den Briefen Ciceros und Senecas (cf. praeterea Kühner II § 36, in n. 3 et 4; Vitruvii locos Eberhard II p. 8 sq. congessit).

Contra praesens interdum ubi futurum exspectatur invenitur (cum praecedit condicio futura), qua de re conferendus est Draeg. I² 286: 'Trotz der Strenge des Lateins im Gebrauch der Futura kommt doch auch das Praesens vor, wo man das Futurum erwartet. Nach den Stellen zu urteilen, die Holtze II S. 67—69 mitteilt, mufs dies

---

1) Non omittam pluralem numerum verborum pro singulari poni 1016: *consona gemina . . . seu sunt . . . . sive has* et 2608 *quod pars bacchiacum vocant.* Quae constructio numquam defuit, sed saepissime apud Livium exstat; cf. Draeg. I² 170 sq.

2) Cf. Haase-Reisig 'Vorll.' p. 456, adn. 456. Accuratius de temporum usu C. Foth egit in Boehmeri 'Roman. Stud.' fascic. 8 p. 3 sqq. (Die Verschiebung lat. Tempora.)

in der Volkssprache ganz gewöhnlich gewesen sein'. Structuras enuntiatorum hypotheticas coll. II² 713 sq. Cf. etiam H. Blase, 'Zur Syntax der Bedingungssätze im Lateinischen'. Comm. in hon. G. Studemundi, Argentorati 1889, p. 47—57.

Simili autem licentia interdum futurum exactum pro priore aut pro praesenti adhibetur, ut: 110 *ut quivero*[1]), *blaterabo,* 200 *quotiens pulsaverit, perficit,* 1209 *quando residet et . . . geminaverit, reddetur.* Cf. Draeg. II² 713 sqq. Itaque cum pro coniunctivo futuri exacti coniunctivus perfecti ponatur, etiam hic interdum pro praesenti ponitur ut: [600 *ut sit At IV pes et inde versus ortum sumpserit*], 736 *qui sequondi rectius scribi putant, si prius q collocarint.* Saepius autem difficile est dictu futurum exactum an coniunctivum perfecti Terentianus posuerit. Solum per se futurum exactum his locis stat: 850 *consonas per omnes ire iam nunc ideo nobis visum erit consultius* et 2529 *videro si novelli versus erit poetae.* Sed hae dictiones tritae erant, ut Ciceroni, cf. Draeg. I 284 sqq. Neque tamen verbis Draegeri, qui p. 286 contendit: 'Im späteren Latein wird diese Erscheinung immer seltener' nimis fidendum est. Nam cum ipse tria Apulei exempla adiciat, Ebert p. 31 sq. novem Frontonis certa, novem non ita clara congessit.

Pro perfecto insolentius praesens coniunctionem *postquam* sequitur in v. 5: *postquam accedere senium videt.* Quamquam optimorum scriptorum exempla non desunt, cf. Draeg. II² 583 (adde I² 233). Idem singulis locis Fronto et Gellius admiserunt (cf. Ebert p. 36).[2])

Consecutio quam vocamus temporum solum verbo *foret* laeditur: 21 *ligat, dum sit funiculi modus, aptus qui puteo foret,* 2435 *sed quia videtur alius ante praeditus, versus ut hic epodus illius foret,* (Keil Micyllum secutus *ut versus hic* scripsit, sed vocis *versus* altera syllaba per se longa est). [Recte non servatur 722 *in unam q redactae congruerunt litteram, portio ut nunc consonantis u videri rectius . . . . debeat.*] Gellium[3]) octies legem migrasse atque etiam Vitruvium[4]) hac in re sermonem plebeium non dissimulasse admonere satis habeo.

De modis autem notandum est veterem Romani ingenii proprietatem, qua postulabant ut quaecumque ab aliqua sententia enuntiata penderent reapse pendere significaretur, non esse Terentiani. Nam cum illi, etiamsi ratio indicativum postularet, saepe coniunctivum per adsimilationem quandam modorum ponerent, Terentianus, ut omnino sententiarum nexum laxat, in oratione obliqua nonnumquam indicativum praefert atque etiam interrogativa enuntiata indirecta interdum per indicativum effert, qua licentia nullum certius cottidiani aut neglegentis sermonis indicium exstat[5]). Cuius rei exempla non-

---

1) Similiter optimus quisque auctor *potuero, voluero* alia scripsit; cf. Draeg. I² 283.

2) De perfecto quod vocant ulterioris modi v. infra p. 353.

3) Cf. Gorges p. 44. 4) Cf. Eberh. part. II p. 11.

5) Cf. Rebling p. 11, Reisig § 129 et Haasii adn. 504.

nulla luculenta addere liceat: 1 sqq. Audivi veterem virum vulgo dicere fabulam quendam qui ter Olympia vicisset Iove praeside, postquam accedere lividum virtuti senium videt, dum victor cluet omnium, maturasse . . . . (tum sola sequitur oratio recta): Sed ne . . . accerseret, tale exercitii genus commentum sibi dixerat[1]). Nervis mollibus invicem iunctis . . ., ceu Parthus solet . . ., tales assidue ligat eqs. [40 sq. 'totum cernere nec palam quo totum geritur queas' addi potest, quod urbani scriptores pronomine interrogativo et modo coniunctivo usi essent]. 259 sqq. aiunt aliquas faucibus exsilire ab imis, ut . . . sonat . . . ., ictam gravius vocis opus fingere linguam, si ζῆτα loquor, 269 quando subibunt pericla, . . . favere palmam, 294 sqq.[2]) sermo si planus pedestri se tenet modestia, verba si . . . . carminis servant honorem . . . ., hunc modum si . . . . pertulit stilus, sive . . . . cessit effectus labor, acrius vos pendite ista . ., 355 septem scimus e vocalibus ῆ et ῶ quae . . . . subministrant, 2196 sqq. poetae, ne . . . admitteret, dum . . . . sinit, spondeon admiscuerunt, 2247 sq. heroicus quare pedes per singulos at iste binos scanditur, causam loquar, 2528 videro si novelli versus erit poetae.

In enuntiatis interrogativis indicativus apud optimos scriptores semper rarus mansit, licet Draegeri exempla[3]) augeri possint. In sermone cottidiano non rarus fuit[4]). Universe autem usum Terentiani cum Gellio comparare satis esse duxi. Nam Gellii exempla, postquam in orationis obliquae enuntiatis secundariis apud eum indicativum insolentius poni Hertz[5]) monuit, Gorg. p. 35 congessit, ex quibus apparere videtur Terentiani usum non differre a sermone saeculi secundi exeuntis cottidiano.

Coniunctivus autem dubitativus invenitur in interrogatione recta: 810 *quis queat,* 920 *quis possit,* 1076 *cur non praestet,* 2218 *cur serviat* [contra ob metrum in v. 1505 *nomen tibi quid deligo* indicativum posuit], potentialis: 1) 2. pers. sing.: *putes* 36, 64 *credas* 1183, *videas* 1036, 1138, 2658, 2664, 2790, *queas* 41, *sinas* 842, *possis* 862, 1244, 1268, 2375, 2789. 2) 3. pers. sing.: *queat* 881 (nisi versum aliter interpretaris, ut *cum* sit coniunctio), 1205 *possit.* Itaque etiam in v. 2936 cum Brissaeo *possit videri claudus hic trimetrus (posset M)* scribo, licet Lachm. et Keil Brissaei coniecturam aspernati sint. Accedit quod Marius Victorinus *possit* tradit.

Post particulas condicionales *si nisi ni* modus coniunctivus legitimus est neque indicativus poni solet nisi ubi aut metris Terentianus impeditus est, aut modus potentialis non aptus est, ut cum *quando* aut *quis* coniunctioni adduntur aut in enuntiatis huiusmodi:

---

1) Plusquamperfectum in sermone cottidiano et a scriptoribus posterioribus saepius quam in sermone expolito adhiberi et imprimis verba dicendi ita usurpari Schmalz ap. Iw. M. II² 404 contendit.

2) Cf. p. 372. 3) II² 474 sq. et 736 sqq.

4) Cf. Schmalz ap. Iw. M. II² 474 sq., § 214.

5) Vind. Gell. alt. p. 25.

170 *si brevis est quae posita est loco priore (= si loco priore brevis ponatur),* 173 *si nimium est hoc dare* similibus. Exempla infra in ind. particc. in v. *si* p. 372 leguntur. Cf. Schmalz ap. Iw. M. II² 523, § 298 et 299.

Contra coniunctiones *quando quotiens cum (= quotiens)* indicativus sequitur, itaque cum illae et hae iuxta ponuntur, indicativus et coniunctivus sese excipiunt ut: 156 *si sit prior U, cum dico vide, contulit ...,* 376 sq. *syllabam cum edimus, si prior locetur ipsa, ... redditur,* 608 *cum producta prima est, si sequatur consonans, efficit ...,* 946 *expuli cum dico, seu quis excussam comam dicat,* 1330 *sive praesint alteri vel sibi cum copulantur.*

Itaque etiam post *sive — sive* coniunctivus plerumque invenitur ut 383, 432, 469, 619, 875, 946, 1031, 1330 al., de indicativo cf. p. 370 sq. huius l. s. v. *seu.* Cf. Draeg. II² p. 147: 'Dann finden sich aber seit dem silbernen Zeitalter manche Stellen mit dem Konjunktiv des Praesens und Perfekts ganz nach Analogie der Bedingungssätze'.

Notabilis coniunctivi usus his locis est: 207 *quascumque libeat iugare, mutare necesse est* (hic coniunctivum propter metrum posuit, sed alii quoque ut Suet. Gell. Lact. coniunctivum admiserunt, cf. supra p. 326 in voce *quicumque*); 527 *in diphthongos esse Graeca nequaquam potest, quod soni tres implicentur*[1]), 980 *consonans cum (= si [quando]) sit bis una*[2]), 2149 *Aeolicum ex isto genuit doctissima Sappho quod sit quinque pedum* (*sit* scriptum est, ut *quod* longum fiat), 2882 *nec mirum puto quando Varro versus distinguat.*

Coniunctivus sine particula invenitur: apud *necesse est* 533, 560, 592, 746, 974 al., *oportet* 1568, 1620, 1739, imperativum *sine* 947. Qui usus apud Frontonem multo latius patet, nam *velim nolo malo cupio quaeso opto peto mando iubeo sino dissuadeo facio* alia cum coniunctivo nudo copulavit, cf. Ebert p. 35.

Infinitivos, ut omittam qui a verbis *parandi* (ut 142, 1100, 1137, 1596, 1701, 2738) *tenendi* (scil. memoria) *valendi* pendent, mihi exscripsi hos qui pendent a verbis: *adorior* 2926 (Cic. Nep. al.), *ammoneo* 908, 1574 (Cornif. Cic. Hirt. in Caes. b. G. 8, Plin. ep. al. cf. Krebs s. v.), *amo* 1995 (Sall. Hor. Tac. Lampr. Ambr.; cf. Quint. IX 3, 17 et Krebs s. v.), *certo* 34 (*c. vincere* dictio Vergiliana est, item infinitivum regit ap. Enn. Sen. Curt.), *compello* 888, (cf. Menken, obss. p. 137 sqq. Locis Ov. Curt. Luc. Iustini Augustini in lex. conlatis Maeciani undecim [cf. Kalb, R. J. p. 73], duos Firm. Mat. [cf. Dressel, 'Lexikal. Bemerkk. zu F. M. p. 15] adde; Maecianus qui fuit tempo-

---

1) Cf. quae Hense de Iuba suo p. 116 dicit: 'Saepissime ubi modus indicativus exspectatur, coniunctivum praefert scriptor idque post *quod* praecipue, *si quidem*, alias coniunctiones causales'. Nescio an recte Hense hoc inde repetat, quod in aliorum copiis describendis scriptor paene totus versatus sit.

2) Coniunctivus ob metrum admissus est; cf. Draeg. II² p. 574: 'Seit d. klass. Zeit, zuerst sparsam, dann bes. im silb. Latein häufig'.

ribus Antonini Pii, sermone vulgari usus est; verbum *cogendi* quinquies cum inf. habet), *datur* 1780 (*hoc mihi tam grande munus habere datur,* ita cum inf. ap. Lucr. Verg. Hor. Ov. Prop. Lucan. Pers. Plin. ep. Adde Mar. Vict. p. 35, 19; 49, 32; 97, 13; 105, 33; Rufin. p. 562, 17 [cf. Hense p. 114]. Item ut *valere* infinitivum, *facere* apud posteriores acc. c. inf. regit, ita *vires dare* cum inf. coniungitur 1106: *dedit vires geminis augere trochaeum.* Similiter *dare* apud Vitruvium inf. regit, cf. Praun p. 21), *dare vires* 1106 (vide ad verbum antecedens), *memini* 1985 (Plaut. Lucr. Hor. Prop. cf. Georg. s. v. I θ), *moneo* 1000 (Cic. Sall. Verg., cf. Krebs s. v.), *nitor* 1018, 1338, 2542 (*nitar* cum inf. pro simplici futuro adhibitum modestiae est. Cf. Krebs s. v.: 'Die Konstruktion mit dem Infinitiv findet sich nicht bei Cicero, aber oft bei Dichtern, in Prosa z. B. bei Caes. Sall. Vitr., oft bei Liv.' [adde Nep. Tac.]. Ibidem quattuor dissertationes nominantur, quibus loci a Draegero (Hist. Synt. II 300) collecti augentur. Gellius hoc verbum ter cum inf. coniunxit, cf. Gorg. p. 47), *rarum est* 500 (*rarum est, ut* ter Quint. dixit, singulis locis Spart. et Vopisc.), *ratio est* 1008, 1524 (Georg. huius constructionis singula exempla e Cic. et Tac. adfert; Col. *minime est rationis* cum inf. coniunxit), *receptum est* (coni. Aldus, *praeceptum est* falso versu M) 2257, *urgeo* 195 (hoc verbum cum inf. Hor. carm. II 18, 20, cum acc. et inf. Tac. ann. XI 26, passivum cum inf. Tert. de anim. 26 coniunxerunt, [cum *ut* Asin. Poll. in Cic. ep.]). Haec igitur verba omnia iam apud priores scriptores infinitivum rexerant, praeterquam quod has dictiones: *dare vires, rarum est, receptum est* nusquam cum infinitivo coniuncta inveni (apud Frontonem etiam verba *suadendi poscendi postulandi* infinitivum regunt, apud Gellium *consilium est, ius est, potestas est*).

Accusativus cum infinitivo pendet: a verbis *deprendo* 971 (ut ap. Quint. et Min. Fel.), *promptum est* 1007 et 1760 (= *apertum est;* etiam Ov. Lucan. Stat. Quint. Tac. Ambros. hoc verbum cum inf. coniunxerunt, sed alia significatione), a *recuso* 1037 (*quia mutas ita coniungi natura recusat;* item apud Plin. Mai. XXIX 16 et Tac. ann. I 79 infin. regit), a *facio* 719, 2073, 2078, (Georges Plauti Varr. Verg. Col. singulos locos, binos Ov. et Pallad. adfert. Sed etiam Gaius ita locutus est, Gell. ter [cf. Gorges p. 50], Apul. Minuc. Nemes. singulis locis, idem in inscr. CIL VIII 2632 intra a. 161 et 169 p. Chr. n. facta invenitur, tum vero inde a Tert. Cypr. Itala saepissime, cf. W. A. III 180 sqq. et Sittl in Burs. ann. vol. 68, p. 258).

Constructio cum nominativo et infinitivo formae passivae verborum sentiendi et declarandi, quae etiam apud optimos scriptores non ita rara est[1]), apud Terentianum invenitur his locis: *i iudicanda est vocālis esse* (Cic. Plin., adde tres Vitr. locos), 1172 ĭī, *quod*

1) Cf. Draeger II² 448 sqq., ubi verba passiva ea vi praedita enumerantur.

Graecis commune videmur[1]) *habere* (Draeger hoc verbum omisit, sed vi propritim passiva non solum apud posteriores[2]), sed iam apud Vitruvium adhibetur)[3]), 1781 *qualis supra versus peccare videtur,* 2116 *tetrameter similis remanere videtur,* 2784 *versus stare videbitur,* 2852 *hoc Petronius invenitur usus* (Cic. Lact.), itaque etiam in v. 801 *C quod eius invenitur posse subdi pro sono* casum litterae C nominativum esse puto; [contra: 2949 *putandum est tres datos trochaeos*].

Gellius secundum Gorg. p. 49 verba *convincor trador credor existimor doceor* alia ita construxit, sed etiam antea illa exempla poni poterant.

Pro accusativo cum infinitivo coniuncto particula *quod* cum coniunctivo his locis invenitur: 204 *K perspicuum est littera quod vacare possit,* 212 *nulli dubium est faucibus emicet quod ipsis H littera* (addidi, quamquam pro *quin* posita est particula *quod*)[4]), 498 sq. *ceterum quod E . . . . reddat OE diphthongon esse traditum supra tenes,* 872 *semivocalis quod una praefici possit tenes,* 920 σίγμα *quis possit negare quod det adiunctum sonum,* 2840 *si dicam* l e p i d a e, *palam est profecto quod sit pes anapaestus,* 2867 *non nulli metron hoc magis putarunt quod sit postera pars ionicorum.* Sed etiam cum indicativo haec vox semel coniungitur, quamquam cum pronomen *hoc* praecedat, non sine causa positus est: 1628 *hoc sat erit monuisse locis quod quinque frequenter iugem videmus inveniri dactylum.*

De *quod* particula quae sit pro accusativo et infinitivo posita, cum priores nonnulla exempla plerumque sine via et ratione contulissent[5]), accuratius primus Mayen disseruit in libello qui inscriptus est: 'De *quod quia quoniam* . . . .'. Quorum studiis apparuit *quod* voculam ita usurpatam in prisca latinitate non deprendi, rarissime ab aetate quam vocant aurea ad Frontonem[6]), paulo frequentius inde ab saeculo p. Chr. n. secundo vertente atque, si omittimus quibus ex pronomine demonstrativo venia paratur, 14 locis Apulei, 14 Gellii, 8 declamationum maiorum, quae sub Quintiliani nomine traditae sunt, 6 Iustini. Contra apud scriptores ecclesiasticos particularum *quod quia quoniam* reliquarum usus magis magisque floruit atque in versionibus librorum divinorum creberrimus est,

---

1) Exempla v. 481 *au capere videtur productum sonum* et 642 *perdere u videtur vocalem sonum* incerta sunt itemque 2890 *nomen memoratur hinc datum* (cf. Praun p. 8).

2) Cf. Paucker, Subr. scrut. p. 57 sq. 3) Cf. Praun p. 8.

4) *Non dubitare quod* Amm. scriptt. h. Aug., Hieron. dixerunt, cf. Iw. M. II² 530, § 308.

5) Imprimis Val. Rose nominandus est, qui in Anecd. Graecis et Graecolat. I 83 sqq. de hac re egit, cui disputationi quae Sittl p. 110 sqq. Draeg. II² 229 sqq. alii collegerunt addenda sunt, cf. Mayen, praef.

6) *Quod* cum verbo finito pro acc. c. inf. invenitur locis Phaedri 1, Petronii, sed in sermone rustico, 4, Suet. 1, Tac. 2, Plin. min. 2, quos exempli causa nomino; cf. Mayen p. 12 sqq. Sed Quint. et Fronto atque etiam postea Min. Fel. hac structura abstinuerunt.

ut etiam accusativi cum infinitivo quam vocamus structuram superet. Ut apud Tertullianum[1]), ubi ex Itala locos adfert, accusativus cum inf. 44 locis, 48 *quod,* 13 *quia,* 3 *quoniam,* ergo 64 locis particulae inveniuntur, quibus numeris apud Cyprianum hi: 31, 3, 66, 44 (= 31 : 113) respondent. Ipsi autem particulis rarius utuntur, Tertullianus 56 locis *quod,* 11 *quia,* 7 *quoniam,* at acc. c. inf. plus 2500 locis, Cyprianus isdem 38, 24, 12 (= 74) : 918 locis.

Modus in enuntiatis a *quod* vocula incipientibus fere est coniunctivus[2]), sed interdum indicativus occurrit atque praeter Petronium, qui omnibus quattuor locis indicativum posuit, in excerptis Sen. rhet., apud Tac., Plin. min., Gellium, Apuleium[3]), auctorem declamationum maiorum, Tertullianum[4]), 'omnes' denique, ut ait Mayen, 'provinciales'. Frequenter indicativum, cum post *quia quoniam quomodo* usitatus sit, non nisi in paucis versionibus (ut in Tertulliani Itala et in Pastoris Hermae versione) et apud Alcimum Avitum exstare Mayen dicit. Sed etiam apud Ammianum Marcellinum, cum coniunctivus vicies fere inveniatur, indicativus quadraginta locis exstat[5]).

Haec igitur si considerantur, Terentianus pro portione non ita raro hanc licentiam amplexus est, ac tamen hoc magis neglegentis et cottidiani sermonis quam posterioris aevi indicium est. Nam haec constructio verborum, cum plerumque in versionibus, commentariis, artis libris inveniatur, in sermone eleganti et puro semper rara mansit, ut apud ICtos[6]), quibus addendus est Minucius Felix, qui eam semper vitavit. Itaque non est cur Terentianum post Gellium et Apuleium scripsisse censeamus. Immo eum his ipsis temporibus fuisse etiam hac re probatur, quod particulis *quia* et *quoniam* quae pro acc. c. inf. sub extremum saeculum secundum adhiberi coeptae sunt et quarum usus tertio saeculo floret[7]), pro acc. cum inf. non usus est neque igitur fortasse noverat. Item indicativum, quem Tertullianus in libris prioribus, qui ante a. 202 scripti sunt, sexies habet post *quod,* contra coniunctivum sedecies, Terentianus semel posuit in v. 1628 atque praecedente pronomine demonstrativo.

Neque hoc iudicium ea re infringitur, quod semel *tamquam* cum coniunctivo pro acc. c. inf. posuit: 2651 *sunt qui tradiderint, ultima versui tamquam pentametro syllaba dempta sit.* Hanc enim particulam iam Tac. ann. 14, 22, 1 ita usurpavit (cf. Schmalz ap. Iw. M. II² 505, § 260), et Tertullianus quinquies *quasi* cum coni. pro acc. c. inf. posuit.

---

1) Cf. Mayen p. 47 sq. 2) Cf. Mayen p. 55.
3) Cf. Ferd. Maier, 'De Anon. physiogn.' p. 17.
4) Cf. Sittl. p. 110.
5) Cf. A. Reiter, De Ammiani Marc. usu orationis obliquae, Amberg 1887.
6) Cf. Kalb, R. J. p. 29 sq.
7) De Tertulliano et Cypr. cf. supra in hac p.; iam antea Scaevola ICtus semel *quia* in dictione vulgari usurpaverat; cf. Kalb, R. J. p. 31.

De participiis et gerundio.

Cum veteres Romani sententias secundarias participiis aliisque constructionibus usi in brevem formam redigere et in enuntiata primaria recipere solerent, Terentianus, ut est verbosus neque amans perpoliti generis dicendi, multo magis enuntiata fusa et plena adhibet. Quantum interest inter eum et Tacitum. Quamquam nullo modo constructionibus eiusmodi uti dubitavit. Sed inter genera distinguendum est. Nam cum scriptores urbani imprimis in historiis conscribendis saepissime constructione quae ablativus absolutus vocatur uterentur, Terentianus partim natura argumenti coactus, partim quod sermonis cottidiani neglegentiam sequitur, multo magis participiis coniunctis et gerundiis ablativo casu positis utitur. Nam ablativos absolutos viginti duos tantum numeravi, quorum numerus non vereor ne multis exemplis augeri possit.

At, ut omittam participia perf. pass., participia praesentis, quae scriptores aureae latinitatis plerumque magis vitaverunt quam amaverunt, si neglegimus quae adiectivorum vim acceperunt[1]), plus sexaginta locis inveniuntur. Participium futuri autem cui enuntiatum additur, quae structura a Livio saepius invenitur[2]), unum me legisse memini: 726 *syllabam non editura ni comes sit tertia.*

Gerundii autem ablativus, qui saepe a Livio[3]) Vitruvio[4]) Gellio[5]), omnino saepe a scriptoribus vulgaribus et posterioribus[6]) adhibetur, apud Terentianum cum obiecto invenitur: 230, 245, 321 (bis), 345, 373, 386, 625, 726, 995, 1296 (ἀπὸ κοινοῦ), 1435, 1515, 2189, 2298, 2880; sine obiecto: 449, 1627, 2194, 2253.

A praepositione gerundium pendet: 317 *in legendo.*

Coniuncta autem quod participia et gerundia interdum inveniuntur, licet Draeg. II 849 tria tantum exempla adferat, non est quod mireris: 230 sq. *premendo . . . obstansque,* 345 *aemulando nec fidens,* 625 *sequendo . . . praedita et.* Sermonis enim neglegentis erat, itaque idem admiserat Vitruvius[7]).

Participia autem a Terentiano interdum poni, ut gravior oratio fiat — nam sermoni vulgari verba et tempora simplicia non sufficiunt, cf. linguas Romanicas — fortasse postea exemplis probabo. Atque etiam cum verbo substantivo aut cum illo *fieri* nonnumquam coniunguntur, ut paene pro adiectivis sint: cf. 325 *non ero stulte repugnans aut amans prave mea,* 1022 *seu sunt dirisae finemque*

---

1) ut *sequens* (abl. *sequenti*) cum compositis.

2) Cf. Kühner II 569, Draeg. II 754, Neue II² 379, Kalb, R. J. p. 48 sq., Fr. Kupfer, 'Der Gebrauch des Participiums auf *-urus* bei Curtius.' Progr. Coeslin. 1887.

3) Cf. Draeg. II 848. 4) Cf. Rebling p. 21.

5) Cf. Gorges p. 53.

6) Cf. Diez, Gramm. der roman. Sprachen III 235.

7) Cf. Praun p. 60.

caputque tenentes, 1254 *nam mutis docui subiectam hanc omnibus esse (= subici),* 1531 *tres dico iugatos fieri,* 2823 *pars fiet haec relicta.*

Quare cum participia vim verbalem non obtinerent, perfectum quod vocant ulterioris modi fingi necesse erat. Quod apud Terentianum semel invenitur: 1991 *ultima quae metro fuit hoc inventa Sereni;* neque enim Petrecini coniectura: 373 *sumpta propter quod fuit* (*fuit* in M deest) tam certa est, ut adnumerari debeat. Immo et ad sententiam et ad sermonem Terentiani mihi *datur* aut simile aliquid magis quadrare videatur, cf. v. 1030 *seu subdita detur.*

Ex Neuii autem collectaneis[1]) apparet, si unum Livium excipimus qui exemplorum numero magno inter ceteros eminet, scriptores urbanos rarissime eo usos esse, Gellium autem et Apuleium comicorum et sermonis vulgaris usum recepisse. Fronto participiis perf. illud *fui* bis, quater *fueram, fuero* octies addidit[2]).

Itaque cum posteriores usum intenderint, Terentianum etiam hac in re magis ad secundum quam ad tertium saeculum quadrare puto.

Index particularum.

Ac et **atque** sententias arte conectunt. Illud raro invenitur ut: 558, 1373 *(ne quis erret . . . ac putet pigrum vel artis usque ad ista nescium);* hoc legitur: 175, 560, 589, 609, 616, 774, 785, 836 *(quando flabra et flosculos atque item frugem atque frondem nominas et talia),* 887 *(quando* μνήμην *atque* μνᾶcθαι *dictitatque* Μνεcθέα*),* 910, 919, 927, 1143, 1402, 1816, 2554, 2874 *(nec pars haec anapaeston atque iambos, nec non et catalecticam supremam, sed sumat pariambon et trochaeos),* 2919, 2968 al. In v. 175 Briss. hanc particulam conlato Gellii l. X capite ultimo pro *statim* habet, sed coniunctio copulativa est. Nota 1812 sqq.: *haec . . . edet anapaestica dulcia metra cuicumque libebit . . . . atque ille poeta Faliscus . . . dixit.*

Adeo dupliciter accipi potest pro *adde ad id = praeterea* aut pro *usque ad id.* Hunc usum scriptores elegantis latinitatis frequentaverunt, illum quem Terentianus in v. 1098: *cum correpta adeo vocalis tertia currat* praebet, fere non usurpaverunt, sed exstat apud comicos vetustos, Apuleium, Tertullianum alios; cf. Paucker Subr. scrut. p. 60. Cf. etiam particulam insequ.

Adhuc similiter atque *adeo* usurpatum est: 617 *est adhuc quo separatae i et u dissentiant.* Ita inde ab argentea quam vocamus latinitate invenitur, cf. Paucker l. c. p. 61. Krebs haec habet: 'Unser *noch andere, ausserdem noch andere* heisst *Kl. etiam* oder *praeterea*

---

1) II pp. 355—360. Riemann, 'Études sur la langue de Tite-Live' mihi non praesto erat.

2) Ebert p. 31.

alii, N. Kl. alhuc alii und *noch an einem andern Ort* = *atque adhuc alibi* Quintil. 2, 21, 6'. Idem paulo post scribit: '*Sp. L.* ist es auch in der gewöhnlichen Bedeutung *überdies* für *etiam, praeterea etiam*'.

Alias = ἄλλοτε. 1825 *nec non alias quoque binas et tres superare solere,* 1839 *alias tamen haec eadem pars, quotiens ithyphallicon addit metrum sibi, tale fit unum.* Hand I p. 221 sub n. 5 Ciceronis quattuor, binos Caesaris et Varronis locos adfert.

Aliter 719 *non aliter quam,* itidem 1233. Idem Cic. Sall. Ov. Liv. Sen. contr. Sen. phil. Curt. Col. Quint. Plin. min. Suet. Fronto Gellius alii dixerunt, cf. lexica, Krebs in v. *fieri,* Weissenb. ad Liv. 39, 28, 1, Ebert p. 36, Gorg. p. 25. ICti saec. p. Chr. n. sec. semper — Gaius circa tricies — usque ad Scaevolam ita locuti sunt, cf. Kalb, R. J. p. 18; sed quod inde a Scaevola praebent: *non alias quam,* Terentianus non habet.

An 1) 209 *refert nihilum k prior an q siet an c;* hoc rarius invenitur cf. Schmalz ap. Iw. Mueller II² p. 456, § 160.

2) In simplici interrogatione bis pro *num* invenitur: 286 *intueri vos oportet, an satis sit litteris singulis discreta recte . . . . nativitas,* 760 *nec potest et hoc liquere an i putemus consonam.* Sic numquam Cicero, iam saepius Livius, post Augustum multi, in primis Sen. rhet., praeterea Curt., Plin. ep., Quint. saepe (cf. Bonnellii ind.), 57 locis Gellius (cf. Gorg. p. 42) locuti sunt; cf. etiam Krebs in v. *an* p. 147. p

3) In riore interrogatione legitur 1062: *exemplis an prava sequar vel rec taprobato;* huius autem usus Draeg. II p. 489 paucissima priorum exempla collegit; unum Apulei (met. 11, 6) tres Anon. physiogn. locos Ferd. Meier 'De Anon. phys.' addidit; Gellius in disiunctione *ne — annon, utrumne — an, anne — an, an — an* (ter) usurpavit, cf. Gorg. p. 42 sq. Sed hoc ipsum *an — vel* Krebs in v. *an N. L.* i. e. ultimorum temporum esse dicit, quod Terentiani exemplo infringitur.

4) Notandi etiam hi sunt loci, ubi *vel* pro *an* legitur: 692 *si non prius, consonas quae prima in ista syllaba cui scribitur c magis vel q notari debeat dispexeris,* et enuntiato generali interrogativo praecedente 695: *sic enim constare poterit e duabus quae magis nunc locum vocalis habeat u prior vel i sequens.* Hoc quoque Krebs s. v. *vel* ultimorum temporum esse dicit; quod nobis negandum est.

5) Pro *an* propter metrum in vv. 728, 733, 793 *aut* scribendum est itaque etiam in vv. 517, 788, 903, 916 editores non sine quadam probabilitate *aut* pro *an* restituerunt. Tamen cum *an* pro *aut* etiam Cic. Varr. Ov. Liv. Stat. Tac. Plin. ep. Apul. (cf. Hildebr. II p. 435 sub fin.) Ausonius alii admiserint, editores sequi nolim. Schmalz ap. Iw. Mueller II in § 195 haec habet: 'Auch das Fragewort *an* erscheint als Disjunktivpartikel; aus dem Altlat. ist nur eine Stelle aus Acc. erwähnt, häufig ist der Gebrauch bei Cic., namentlich in den Briefen . . . ., vereinzelt bei Catull, Sall. und

Varro, etwas häufiger bei Livius, bei Tac. ist es geradezu Lieblingspartikel, jedoch nur in den Annalen, wie bei Sall. nur in den Historien . . . . Nach Tac. wird der Gebrauch vereinzelt noch gefunden, so bei Suet. und Apul.'

Anne 1764 *nec refert longa sit anne brevis.* In v. 316 *opera nobis haec inanis an in usum impensa sit* Santen *anne* fortasse recte coniecit. *Anne* ap. Plaut. Amph. 173, Bacch. 576, Cic. de fin. 4, 23, Gell. 19, 13, 4 (cf. Gorg. p. 42) invenitur.

Antequam per coniecturam Petrecini 811 legitur: *syllabam fingas ut ante, litteram quam proferas.* M *qui* praebet, quod fortasse ferri potest. Nam cum recte *syllabam fingat ut ante, litteram qui proferat* ponere vellet, metro *fingas* — *proferas* dicere coactus est. Fortasse autem Lachm. recte *cui praeferas* proposuit.

Neque enim apud Terentianum *antequam,* quod antiquariis non gratum erat (cf. Kalb, R. J. p. 70) alias legi memini, immo in v. 690 invenitur *ante liquere non potest, si non prius . . . dispexeris.*

Ast solum ante vocales apud Terentianum et omnes poetas legitur atque initio versus 158 *ast ipsa* et 957 *ast enim,* medio in versu 192 *ast altera contra.* Hac voce obsoleta poetae carere non potuerunt; plus de usu huius voculae ap. Krebs in h. v. et ap. Iw. Mueller II § 184 invenies.

At saepe legitur ut 67, 89, 133, 199, 235 al.; *at tamen* 347 ut ap. Cic. aliosque.

Atque; cf. supra in v. *Ac.*

Aut voculam, quae in vulgi ore semper duravit — cf. linguas Romanicas —, saec. p. Chr. n. secundo a nonnullis scriptoribus [1]) multo minus quam *vel* usurpatam esse cum doctus essem a Beckero (Stud. Apul. p. 13) et Kalbio (R. J. p. 72), omnes mihi versus exscripsi, in quibus hae particulae leguntur:

a u t 49 locis invenitur (addidi 728, 733, 793; contra 517, 788, 903, 916 non in hoc numero sunt, cf. p. 354 h. l. s. v. *an,* 5);

v e l 90 locis; sed si vv. 186, 613, 683 (bis), 692, 695, 813, 1139, 1299, 1604, 2241, 2242 (cf. infra in v. *vel*), ubi *aut* poni non poterat, subtraxeris, 78 loci restant;

v e 16 locis.

Ergo in tertia fere parte locorum particula *aut* posita est; *vel* autem Terentianum etiam hac de causa praetulisse puto, quod in versibus facilius adhiberi poterat.

Sed quomodo vocula *aut* a Terentiano adhibita sit, ex iis quae sequuntur satis cognosces; de v. 820 cf. infra in voce *vel.*

Nam hac particula moneor, ut de partitione rerum enumeran-

1) Maecianus qui anno p. Chr. n. 175 mortuus est, 60 locis *vel, aut* 10, Apuleius in metam. semel — quamquam in reliquis libris saepius — *aut* usurpaverunt. Hoc autem fieri poterat, quod *vel* significatum voculae *aut* acceperat.

darum pauca disseram, quod ad particularum usum recte aestimandum valere existimo.

Itaque primum notandum est ante primam quamque rem particulas copulativas rarissime poni, paulo saepius disiunctivas.[1])

Exempla sunt haec:

I. particulae copulativae:

1049 *et* — *et* —, 2049 et 2548 sq. *et* — — *que*, 1198 — *que* *et* — (*syllaba . . fortisque et vivida*), 1632 — *que* — *que*, 750 — *que* *nec* —.

Non addo 242, ubi M habet: *tamen ictus ut priori promptus in ore est agiturque pone dentes;* Lachm. et Keil *et* inseruerunt, sed Terentianus nonne *expromptus* vel *prolatus* scribere potuit?

Neque v. 539 sq., ubi lego: *porro cum praecedet u, consonantis vim ministret omnibus vocalibus nexa semper haec necesse est syllabam nec dividat et sonum mutet priorem.* M *ministrat* habet itaque editores post *vocalibus* punctum posuerunt; sed ita meo quidem iudicio concinnitas sermonis deletur, et displicet *nec* — *et*.

Neque v. 751 *quando et digammus*[2]) *sumit et formam et sonum,* ubi Lachm. *hispidam* inseruit, non apte puto; propono *illa vim,* cf. vv. 754 et 758, atque sic *et* quoque altera particula aptius explicatur (*quando et* = *et quando*).

Neque v. 1907, ubi M habet: *ut chorios solvitur, et tribrachys est iambus;* quod ferri posse existimo. Lachm. *ut* — *ita,* Keil *et* — *et* scripserunt.

II. particulae disiunctivae:

vel — *vel* (= *aut* — *aut*) 622 sq., 688 sq., 835, 1623, 2330; *vel* — *vel* (= *et* — *et*) 2241 sq., prope accedit *vel* — *vel* 683[3]); *vel* — *ve* 292 (*ne parum vel diligenter lucideve expresserim*), *aut* — *aut* — *vel* 1350 sqq.

De particulis copulativis cf. Schmalz ap. Iw. Mueller II² § 178: 'Die Verbindung *que et* ist im Altlat. sehr selten (Ter. Hec. 488), findet sich bei Cic. u. Caes. gar nicht, dann im Iug. des Sall., welcher wie Tac. *que* regelmässig an Pronom. person. anfügt, während Liv. umgekehrt dies meidet und *que* an Subst. anhängt, worin ihm Vell. Curt. Plin. mai. Gell. nachfolgen. Bei Verg. u. Hor. fehlt diese Konstruktion, findet sich aber sonst bei Dichtern, z. B. Tibull. — Die Verbindung mit *que* — *que* ist alt, schon bei Enn. zu treffen, jedoch unklassisch, bei Cic. nur de fin. 1, 51 *noctesque diesque* als dichterische Reminiscenz, bürgert sich bei Sall. in die prosaische Litteratur ein; Vergil hat sie wie vorher schon Catull dem Ennius abgelauscht, und ihm wieder andere Dichter; Liv. Vell. Sen. phil. brauchen es nur in Anfügung an das Pron. rel., ebenso Quint. u.

---

1) De *nec* particula cop. non quaesivi, tamen 789 sq. *nec* — *nec* — *aut,* 1294 *nam neque* — *nec* mihi enotavi.

2) *digammi?* 3) De his locis cf. infra in h. v. p. 375.

Plin. ep. . . .; Tac. hat es erst in den Annalen und hier nur zweimal. Im Sp. L. hat man korrespondierendes *que* nur bei Apoll. Sidon.[1]), — *et* — *que* liest man nicht vor Cicero, bei ihm aber öfter, jedoch nicht in den sorgfältig ausgearbeiteten Reden der besten Zeit, auch nicht bei Livius[2]), aber bei Horaz (in den Satiren), vereinzelt in der silbernen und späteren Latinität, z. B. bei Curtius'.

De particulis disiunctivis cf. l. c. § 195 adn.: 'Die Willkür im Gebrauche der disjungierenden Konjunktionen zeigt sich wie bei den kopulativen schon frühe. So verwendet Vitruv *aut* oder *sive* ohne Unterschied, Plin. mai. unterscheidet kaum zwischen *sive, vel* und *aut,* ähnlich Tac., hauptsächlich um die Konzinnität zu vermeiden und Abwechselung in die Diktion zu bringen, ebenso Vegetius und Macrobius und die Peregrinatio ad loca sancta'. Idem de Terentiano valere e paginis insequentibus melius quam ex exemplis supra congestis cognosces.

Nam in rebus enumerandis non solum particulae disiunctivae *aut sive vel ve* et copulativae[3]) inter se coniunguntur, sed etiam permiscentur hae cum illis. Ne longus sim, exempla enumerabo atque lineola — rem enumerandam, uncis [ ] binas res coniungendas indicabo.

I. Ternas res copulare non dubitavit.

a) particulas non adhibuit:
470, 531.

b) tertio membro addidit[4]):
tum 264; *et* 490, 641 *(— — et talia),* 1383; *vel* 1059 *(si quando — — vel — dico); aut* 1430; *quoque* 2203.

c) secundo et tertio:

α) particulas easdem:
— *et* — *et* — 393, 394, 400; — *sive* — *sive* — 536 sq.; — *vel* — *vel* — 540 sq.; — — *ve* — *ve* 932.

β) diversas:
aut — *quoque vel* — 210 (primum membrum e v. 209 animo supplendum est), — *et* — *aut* (M *an,* sed cf. p. 354) — 733, — *si quando aut* — — *vel nominant* 916, — *aut* — *vel* — 2012, — *vel* [— *aut* —] 2249 sq. et 2266, [— *aut* —] — *ve* 2443 sq., — *atque* — — *que* 887, (post *nec*) — *atque* — *nec non et* — 2874 sq., — — *que vel* — 847.

---

1) Cf. etiam Draeger II[1] p. 76.

2) Hac in re errasse videtur, cf. Krebs in v. *et* p. 474.

3) De his Schmalz l. c. § 175 haec dicit: 'Während die klassische Sprache bei Satzgliedern und Sätzen von gleichem Werte den Wechsel in den Konjunktionen *et atque que* vermeidet, brauchen die august. Dichter, dann Livius und seine Nachahmer, hauptsächlich aber Tac., die kopulativen Partikeln in willkürlicher Abwechselung, z. B. Tac. ann. 1, 1 *Tiberii Gaique et Claudii ac Neronis*'.

4) Non aliter Gellius aliique ultimo membro particulas addunt, cf. Gorg. p. 40.

d) omnibus tribus:
aut — *aut* — *vel* — 1350 sqq.

II. Quaternas res enumerans et binas coniungens:
a) sine particulis iuxta posuit:
160 *ut* [*vade veni*] [*vota refer, teneto vultum*], 179 *cum* [*dico lavor, dico nives*] [*pluvia novales*], 221, 339.
b) singulas particulas adiecit:
α) quarto membro:
b c g deinde p 861, [— —] [— *an* —] 788 (editores *aut*, sed cf. p. 354), — — — *aliaque* 930 (sic Lachm. coni., fortasse *atque ad hoc genus?*), — — — *et talia* 417, [— —] [— *et* —] 943, [— —] [— *vel* —] 670 (ubi Keil non recte distinxit —, — — *vel* —; nam binae disyllabae, trisyllabae binae voces caesura dirimuntur).
β) secundo:
— *aut* — — — 154, — *vel* — — — 1063 sqq. (versus 1064 et 1065 transponenda esse existimo, ne verba *cum dico et separo verbum* a v. 1066 divellantur).
c) binas priores et binas posteriores particulis coniunxit:
[— *et* —] [— *et* —] 729,
[— *vel* —] [— *vel* —] 735,
si [— — *ve*] [— *vel* —] 262,
[— *vel* —] [— *aut* —] 517[1]), 728[1]), 820,
[— *sive* —] [— *aut* —] 619,
[— *vel* —] [— *et* —] 882.
d) binas priores cum binis posterioribus coniunxit:
[— *vel* —] *vel* [— —] 101,
[— —] *item* [— *vel* —] 168,
[— —] [— *simul et* —] 260,
— — *et* — *aut* — 478,
[— *aut* —] *vel* [— *et* —] 543 (binas res copulandas esse e v. 542 apparet),
[— *et* —] *atque item* [— *atque* —] 837 sq.,
[— —] *aut* — *et talia* 1171.

III. Quinas res fere non coniunxit nisi natura argumenti coactus:
[— —] *cum loquor* — — — 218,
[— — *ve*] [— *vel* —] *et* — 262,
[— — *deinde*] *mox* — — — 708,
[— *et* —] — — *atque* — 785,
[— *vel* —] *porro* — — *et ceteras* 809,
[— —] — — *aut* — 863,
[— *vel* —] — — *et talia* 876,
[— *vel* —] — — — 941.

---

1) *an* M pro *aut*. Lachm. bimembrem divisionem non agnovit.

IV. Reliqua exempla haec sunt:

939 *quando* [— — *ve*] *dicis* [— —] [— —];

946 sqq. [— *cum dico et* —] [*seu quis* — *dicat aut* —] *et illud* —;

1140 sqq. — *et* — ‖ — (et) — ‖ — *tunc* — *atque* — ‖ — *et* — *et* — *mox* ‖ — *tunc (nunc M)* — — ‖ — ‖ — *et* — ‖ —;

1255 sq. — *dixit* [— —] [— *et* —] *dixit* —;

2915 sqq. *Quae Flaccus variat*[1]) *suis epodis*
nunc unum recinens dato priori,
nunc binos geminis, tribus vel unum,
aut binos varie dedit sonantes e. q. s.

Hac igitur re *stili levare siccioris taedium* voluit. Nam variatio delectat.

Ceu cum ind. 17, 172, 2095, cum coni. 82, 761 (quamquam ipsa particula ut coniunctivus poneretur non effecit), sine verbo finito 364 = 1312, 2742, 2862. Quam particulam praeter poetas raro Sen. et Suet., frequentissime Plin. in N. H. admiserunt.

Cum ind. praes. pro fut. regit: 604 *U dabit, cum consona est,* pro perf. 641 *sicut I bis profuit, cum facit longam priorem: Troia Maia et talia,* futurum modalem 978 *tenent* . . .: *sic et A, cum glans erit.* Cf. quae p. 345 sq. dixi.

Addere eos locos liceat, quibus vim locativam retinuit:

1178 *ut supra ostendi, cum scire* . . . . . *dixi;*

1815 sq. *atque ille poeta Faliscus (*scil. *anapaestica dulcia metra edidit), cum ludicra carmina pangit: uva* . . . . *anno* (cf. v. 1820 *libro quoque dixit eodem*);

1885 sqq. *memini hymnum Battiaden Phoebo cantasse Iovique, pastorem Branchum cum captus amore pudico fatidicas sortes docuit depromere Paean;*

2852 sq. *hoc* (metro) *Petronius invenitur usus, Musis cum lyricum refert eundem consonantia verba cantitasse.*

Dĕhĭnc 1486 *sequitur dehinc iambus.* Et *dĕhinc* et *dehīnc* optimis poetis in usu erant.

Dĕĭn 195 (e coni. Sant.) 669, 1361, 1412, 1478, 2153, 2978. *Dein, deinde, deinceps* particulae praeter v. 1382 *(dēinde)* diductis syllabis inveniuntur, quod teste L. Muellero p. 265 primum apud Terentianum factum est. Sed non multo post ceteri passim diaeresi usi sunt.

Dĕinceps 207 = *deinde;* cf. Krebs in h. v.: '*Deinceps* bedeutet *N. Kl.* oft nur *nachher,* für *deinde, postea.*'

Dĕinde 430, 708, 861, 1503, 1601 *(post hinc deinde), dēinde* 1382. De v. 1601 cf. Krebs in h. v.: '*Kl.* sind *deinde postea* . . . und *deinde ad extremum* . . . . . Anders ist es mit *post deinde* bei Ter.

---

1) hoc aut *variet* pro *varie* conicio.

Andr. 483 und bei Gell., mit *tum deinde* bei den Archaisten: hier haben wir zu meidende Pleonasmen anzunehmen'.

Denique 645 *Aeolica gens tunc digammon denique illam scriptitat.* Cf. Hand II 273 in n. IV 1: 'A secundo p. Chr. n. saeculo scriptores quidam ita *denique* usurpabant, ut posita aliqua re demonstrationem persequerentur aliis argumentis vel exemplis . . . . *in Folge dessen:* Flor. I 16, 5, Iustin. IX 4, 1.' Adde Scaevolam Papinianum Ulpianum alios ICtos; cf. Kalb, R. J. p. 20.

Donec (= *bis*) cum coni. 30 et 2299 (cf. Schmalz ap. Iw. M II § 277).

Dudum 770 (= ante 150 versus), 1269 (= ante 100 versus), 2943 (= ante 350 versus). Plaut. Ter. Cic. Apul. Iustin. Capitol. al.

Dum usitate adhibetur. Ut apud Pomponium Gaium Ulpianum Paulum ICtos in v. 305 notione condicionali cum coniunctione *tamen* copulatur; cf. Kalb, R. J. p. 34.

Dum adverbium est 819 *non priore sed secunda dum Latina in syllaba.*

Dumtaxat ut in v. 2074 pro *dummodo* adhibetur. *Dumtaxat* particula, qua sententia restringatur, ne priores commemorem, apud Quintilianum, Plin. ep., Suetonium, Florum invenitur; cf. Hand II p. 337 sub n. 6. Adde duos Frontonis locos, sed Apuleius hac particula non utitur. In inscriptione CIL. X 114 (= Mommsen, Inscr. R. Neap. 79) paulo post Traianum facta *dumtaxat cum* legitur; *dumtaxat ut,* quod Terentianus habet, alias non inveni.

Ecce saepe invenitur, ubi exempla adferuntur, ut 1151, 1473, 1687, 1897, 1927, 2145; Gaius plus duodecies hac voce utitur. Accusativum ap. Terentianum non regit, sed hanc vim tertio saeculo recuperat, cf. W. A. V 31.

En in versione Theocriti 2129 *Dulce tibi pinus summurmurat en tibi pastor proxima fonticulis.*

Enim; *non enim* 318, 464; *verum enim nec* 501 (cf. Hand II p. 396 in v. *enim* IV 1); *verum enim . . . non* 815; *ast enim* 957, cf. Schmalz § 206: '*at enim* findet sich von Plautus bis zu den Archaisten herab . . . ., *verum enim* bei Plaut. Tert.'

Equidem ut optimi scriptores cum prima persona coniunxit 1969 *non equidem possum* (de Apulei usu cf. Becker p. 48 sqq.).

Ergo triginta aut pluribus locis invenitur. (*Ergo igitur*, quod Anon. phys. 17 locis praebet, apud Terentianum et Apuleium deest; cf. F. Maier l. c.)

Et pro *etiam* aut *quoque* saepissime legitur: 127, 159, 276, 327, 373, 387, 395, 398, 402, 415 *(quin et),* 458, 476, 477, 506, 727, 760, 948, 985, 1029 *(nec non et)*[1]), 1197, 1208, 1244 *(nec non et),* 1333, 1366, 1446, 1451 *(quin et),* 1488 *(nam qui chorius dicitur, et trochaeus idem est),* 1518 *(versus tamen et non minus inde*

1) De his verbis cf. infra in v. *nec.*

comparatur), 1630, 1635, 1650, 1656, 1657, 1674, 1696, 1885 *(nec non et),* 1907 (cf. p. 356), 2042, 2355, 2381, 2383, 2399, 2421, 2427 sqq., 2458, 2610 (*nec non et* coni. Mic.; M *et* om.), 2626, 2875 *(nec non et)* al. Hac autem vocum commutatione inde a Cic. magis magisque scriptores delectabantur, cf. Draeg. II 30 sq. Iw. Mueller II² p. 459, § 169 al. Item Fronto cf. Ebert p. 41, Gellius cf. Gorg. p. 22, Apul., Anon. physiogn. cf. F. Maier p. 14.

De rerum enumeratione v. supra in v. *aut.*

In enuntiatis negativis usurpatur: 248 *nil opus est* Υ *sonare et* ζῆτα, 267 *et non,* 373 *interim vocale et ipsum . . . non tuendo,* 387 *non minus namque et Latinas saepe correpto sono promimus,* 705 *quartus et casus priori non repugnat regulae,* 760 *nec potest et hoc liquere,* 830 *et prior non . . . terminatur,* 1293 *nutans et neutro pondere sidens,* 1518 *versus tamen et non minus inde comparatur,* 1630 *sed non et sextum pes hic sibi vindicat umquam, nisi quando,* 1667 *nec et*[1]), 2458 *et hic dimetrus non minus ut ille.* Cf. Schmalz ap. Iw. M. II § 165: 'Die Kopula mit folgender Negation ist in der alten Sprache noch selten, schon häufiger bei Cornif., Cicero und Livius, selten bei Caes. u. Sall., wiederholt bei Val. Max., Plin. mai., Sueton., Petron u. Curtius, am verbreitetsten bei Tac. . . . Auch in der späteren Latinität begegnet uns diese Verknüpfung, z. B. bei den script. hist. Aug. Lact.'

In v. 47 pro *et* particula adversativa exspectatur, quod etiam ap. Plaut. Ter. Cic. Caes. Nep. Liv. Curt. Petr., saepissime autem apud Tacitum occurrit; cf. Schmalz § 166.

Et tamen coniunguntur 754 (ubi Sant. scriptorum locos collegit), 791, 1518 *(tamen et non minus).*

Que et = *atque etiam* 1078 *semisonans istaec pariterque et muta cohaerens,* 2910 *nunc*[2]) *reddo partes . . . priores partemque et istam.*

Que et *et* inter se respondent 1198 *syllaba fortisque et vivida,* cf. supra p. 356 et Krebs in v. *et* p. 474; item *et* et *que* 2049, 2548 sq., cf. supra p. 357.

De usu particularum *et que atque* conferas velim Schmalz ap. Iw. M. II § 175; nam quae ibi dixit, ad Terentianum valent.

Etenim vocula, quae apud scriptt. hist. Aug. primum locum obtinere solet[3]), ut iam apud priores auctores secundo loco stat 1082, 1089, 2249, ac tertio loco non solum 1711 et 1772 legitur, sed etiam apud Hor. aliosque, cf. Hand II p. 544, Draeg. II p. 171, etiam Schmalz ap. Iw. M. II § 200.

Etiam saepe invenitur. Postponitur: 137, 214 *(quin hanc etiam),* 1007, 1236, 1241, 1279, 1651, 2043 *(nec tres modo, sed quinque etiam),* 2110, 2661 *(non . . . ., verum in tres etiam).* Tempus, ut ita dicam, significat ut interdum apud Plaut. Ter. Cic. Sall. Verg.

---

1) Sic propono pro *sed et.* 2) Conicio *nunc* vel *cum;* M *nam.*
3) Cf. Paucker, Subr. scrut. p. 62.

alios: 1180 *cum remanet nutans etiam dubiusque trochaeus,* 1136 *et brevis haec abscissa etiam comitemque requirens.* Terentiani temporibus haec notio non 'obvia' erat.

Etsi cum ind. 922.

Exin 2579 et 2602 rerum ordinem signat, item

Exinde 1500.

Ferē 297 et 2240 (Auson. epigr. 105, 5 *ferĕ*) et

Fermē 649, 2753 prosae orationis sunt. Gellius hanc quinquagies, illam duodequadragies habet; cf. Gorg. p. 12.

Forsan 1283 cum coni. praes., 2729 cum coni. perf. Hac autem voce poetae dactylici carere non poterant, prosaici Hirtius Livius Quint. Apul. Symmachus receperunt, cf. Krebs in h. v. Accurate de hac et insequenti particula egit Nils Sjöstrand, 'Quibus temporibus modisque *quamvis, nescio an, forsitan* similes voces utantur'. Lund 1891.

Forsitan cum part. 322 *(forsitan nec lecta multis),* ind. praes. 384, coni. praes. 1282. Liv. Curt. Apul. Min. alii hanc voculam cum ind. et coni. copulaverunt et singulis verbis addiderunt, cf. Krebs in h. v.

Fortasse cum coni. 1705. Cf. Hand II 727, n. 17.

Hactenus 278 *sat duco meas hactenus occupasse nugas,* 1391 *Hactenus vicissitudo vertitur disyllabum;* utraque significatio apud optimos scriptores invenitur, cf. Krebs in h. v.

Haud particula, quae iam secundo saeculo in sermone cottidiano rarissima erat, apud Terentianum, ni fallor, deest; cf. H. Planer, 'De *haud* et *nequaquam* negationum ap. scriptores Latinos usu', diss. Ien. 1886.

Hinc atque etiam magis *inde* et *unde* adverbia saepissime pro pronominibus cum praepositionibus coniunctis posita sermonis cottidiani sunt; *hinc et hinc* 118, 195 e coni. Sant., 618 legitur, cf. Krebs in h. v.

Iam Terentiano in deliciis est, ut saepe deesse sine sententiae detrimento possit. Amat in enuntiatis negativis poni ut 699, 732, 744, 794, et cum *videas perspicis videmus* talibus verbis coniungi ut 716, 972, 1640, 2293, 2316, 2565; auget sententiam ut 850 *(ire iam nunc ideo = nunc ire iam ideo),* 1621, 2904.

Iamdudum 2571.

Ideo ut 850.

Igitur tertio loco 23, primo 130 legitur (rarissime adhibetur, quod Terentianus sententias conectere non studet). Cf. Quint. 1, 5, 39: 'an sit *igitur* in initio sermonis positum dubitari potest'. Alia veterum testimonia v. Hand III 197. Cf. etiam Draeg. II 179, W. A. III 560 sq., Krebs in h. v.

Illic 609 *ut illic diximus;* 733 *sicut illic, cum querela . . . . notas,* 894 *g tamen sonabit illic, quando Gnaeum enuntio;* haec sermonis neglegentis sunt.

Immŏ 764, 1179.

Inde (cf. *hinc*) saepissime principium aut originem aut causam (ut 440; hic autem significatus saepius ap. Plin. min., apud alios raro invenitur, cf. Krebs in h. v.) significat, praeterea rem quae in aliam mutatur (ut 1476, 2484, 2869, nec non 1518 *versus tamen et non minus* [scil. quam cυνάφεια] *inde* [i. e. ex ionicis] *comparatur,* quam explicationem addidi, quod Briss. falso interpretatur: *inde i. e. ex synaphia*), denique ordinem (= deinde) 359, 610, 969, 1471, 1691, 1713, 1760, 2390.

Interim 1) = *iam* 371: (*u* littera) *quae vicem nobis rependit interim vacantis* υ (cf. v. 369); cf. Hand III p. 428 in n. 16.

2) = *aliquando, interdum* 373, 888, qui voculae usus ante primum p. Chr. n. saec. non invenitur, sed Seneca phil. Plin. mai. Quint. particulam ita passim adhibent, cf. Hand III p. 423, num. 14. Cf. etiam Krebs in h. v.

Intus 1) = ex interiore parte 189: *vocalis intus locus exitum ministrat.* Plaut. Ter. Varr. Cels.

2) = in interiore parte 235, 1429, 1961 usitato sensu.

3) = in interiorem partem 192 *velut intus agatur sonus,* [2629 *gerit intus in oppidum* Septimii est]. Hoc sensu, qui a Lucilio et Quintiliano vituperatur, particula apud Lucr. Ov. Cels. Tac. invenitur. Cf. etiam Krebs in v. *intro.*

Item 781, 838, 839, 1877, 1908, 2020, 2613, 2648.

Iterum 590, 2030, 2087.

Itidem 265 *itidem . . . . quoque;* haec verba etiam Plautus coniunxit, 1496 *itidemque,* 1517 *itidem,* 2719 *totque itidem.*

Licet coniunctivum regit, non indicativum ut ap. Ulpian. Apul. Macrob. Amm. et in Vulg. Post verbum ponitur: 413, 1341, 1344 *(licebit),* 1827, 2387, ante verbum 511, 633, 813. *Quamvis* apud Terentianum deest. Cf. Kalb, R. J. p. 5: 'Bei den älteren Rechtsgelehrten ist *quamvis* die gebräuchlichste Konzessivkonjunktion. Durch Iulian (qui sub Hadriano fuit) wurde *licet* häufiger und seit etwa 200 macht es dem älteren *quamvis* den Rang streitig'. Neque tamen his verbis comprobatur Terentianum post a. 200 scripsisse. Nam ICti verba in sermone cottidiano obsoleta diutius videntur retinuisse.

Magis (*mage,* quae forma nullo tempore poetarum ab usu prorsus aliena erat, 164, 1483, 2893 invenitur) saepe i. q. *potius,* quae vocula 511 legitur, valet, ut altera res praeferatur, altera excludatur, itaque aut correctioni aut negationi inservit his locis: 164, 692, 734, 767, 772 *(an magis),* 1483, 2246, 2611, 2733, 2866. Hand III p. 558 in n. 8 poetas posteriores ut Nemes. Claudian. (scil. Propertii exemplo) ita locutos esse dicit, sed idem de Frontone Ebert p. 37, de Apuleio Becker p. 12 ostenderunt.

Modo 1) tempus signat:

a) perfectum: 229, 258 *(temptavimus* M; Lachmannum autem Keiliumque non recte *temptabimus* scripsisse existimo. Nam

raptim argumentum libri expedivit, Pythagoreorum autem praecepta ne raptim quidem expedire temptabit, immo *haec sunt,* inquit, *viribus altiora nostris),* 1120, 1224, 1911, 1917, (2060 ex alieno carmine), 2122, 2565, 2594, 2783, 2816.

b) praesens 1737, 1779, 2149, 2342 (= 2345), 2700, 2791, 2797.

c) futurum 1206 et 2011; cf. Krebs in h. v.: 'Nur *A. L.* und dann erst wieder bei Liv. 26, 15, 3 geht *modo* auf die nächste Zukunft'.

2) = *solum* vel *tantum:*

a) cum particulis negationis coniunctum 149, 1201, 2043, 2446;

b) non coniunctum: 818, 1119, 1997.

3) Vim autem correlativam habet 2625: *solet spondeum modo sumere, idem saepe et iambus est.*

In his nihil est insueti.

Mox usitate semper adhibetur.

Namque, quod vocabulum iam inde a Livio loco secundo poni coeptum est (et raro iam antea), saepe legitur atque plerumque loco primo, sed altero 450 et 536, quarto 448. Itaque Terentianus particulam non aliter collocat quam Gellius Apuleius alii. Cf. Gorg. p. 25, F. Maier p. 14; plus v. ap. Krebs et ap. Iw. M. II² 466, § 198.

Nĕ particula interrogativa 1247 omittitur: *uda igitur numquam praebebit subdita tempus?* Cf. Schmalz ap. Iw. M. II² 455, § 154.

Nē 1685 *specta ne forte trochaeus sit tertius finesque det vocabulo.* Huius usus Santen ad hunc v. et Hand IV p. 88 sqq. (III 1) exempla Plauti 3, Terentii 2, Ciceronis 15, Liv. 2, singula Varronis Ovidii Columellae Persii Pauli adferunt. Tertullianum saepe ita locutum esse Paucker Subr. scrut. p. 63 ostendit posteriorumque locos addidit; cf. etiam Schmalz ap. Iw. M. II² 476, § 215.

Nec = *ne — quidem* (quae voculae 2365 inveniuntur) his locis legitur: 322 *qui . . . forsitan nec lecta multis e latebris scalpsimus,* 366 *quia nec illac . . . . eosdem semper exhibent sonos,* 501 *verum enim nec praelocari sic apud Graios potest,* 760 *nec potest et hoc liquere,* 935 *praefici in verbis Latinis ista nec vocalibus poterit umquam.*

Huius usus exempla ap. Plaut. Catull. Liv. Ov. Curt. Sen. Lucan. Plinios mai. et min. Quint. Tac. Suet. Iuv. Frontonem (tribus locis, cf. Ebert p. 41) Gell. Apul. Flor. Iustin. Tert. Cypr. al. exstant, cf. Schmalz ap. Iw. M. II² 461, § 177 et Draeg. II¹ § 318, 8. Qui de hoc usu viri docti disseruerint, Sittl ('Die lok. Versch.' p. 99) et Krebs in h. v. nominant.

Nec non invenitur: 985 (ubi cum Micyllo facio), 1214, 1476, 1861, 2439, 2696; hoc iam ap. Catullum Varr. Verg. et ap. posteriores scriptores invenitur, cf. Schmalz ap. Iw. M. II² 461, § 177 et ap. Krebs in h. v.

Nec non et: 1029, 1244, 1885, 2610 (coni. Mic.), 2875

Quod quamquam ab ICtis ante Ulpianum vitatum est (cf. Kalb, R. J. p. 132), iam multo ante ap. Varr. Vergiliumque, postea ap. Plin. mai. Suet. Flor. Eccl. invenitur; cf. Schmalz ap. Iw. M. II² 468, § 205, Hand IV 112, Sittl in Burs. ann. vol. 68, p. 238. [Cf. etiam paulo infra in v. *neu*.]

Nequaquam 526.

Neque, cum *nec* innumeris prostet exemplis, rarissime post Augusti tempora poetae admiserunt, cf. numeros a Luc. Muellero l. c. p. 395 congestos. Neque aliter Terentianus, nisi fallor, *neque* ter posuit atque bis in ionicis: 132 et 2070, semel in dactylis 1294 *(neque — nec)*.

Neu: 68 sq. *ne — ve neu —*, 74 sqq. *ne — ne* [— *aut* —] *ne — neu — vel — neu*, 850 sq. *ideo, ut . . . neu*. Contra 924 *ut — nec*, 1443 *fugito nec repellas;* sed hoc etiam Cic. Liv. alii multi dixerunt, cf. Schmalz ap. Iw. M. II² 474 § 212 et ap. Krebs in v. *nec*.

Ni cum coni. 726, 802, 933 (e coniectura palmari Lachm.); *ni* saepe a poetis, Sall. Liv. Tac. postt. adhibetur.

Nil = *non* 1158, 1196, 1456.

Nimis 75 *ne priscum nimis aut leve*.

Nisi cum coni. 98, 438, 679, 1080 (2003 apud Septimium); cf. p. 347 sq. h. l.; cum fut. 1087 *nisi comitabitur, desinit;* cum indic. praes. 1151 *nisi fallimur; nisi quando* cum indic. pr. 1631, fut. 2442; *non nisi* 124, quae verba coniuncta, cum post Augustum non rara sint (cf. Hand IV p. 251), ICti post Scaevolam demum et Papinianum receperunt. Krebs in v. *nisi* ap. Cels. Sen. Plin. mai. et min. Quint. Tac. Suet. commemorat haec verba nullis interpositis aliis legi.

Nondum 2925. De v. 896 cf. p. 334 sq. h. l.

Numquid Petr. 766 recte coni., *nunc quid M*.

Nunc nonnumquam vim deminutam habet, ut sit i. q. *hic* vel *in hoc exemplo* ut 695, 756, 767, 794, 1272; *nunc cum* 1169 legitur. *Nunc — nunc,* quod Terentianus 361 = 1309, 834, 888, 2916 sqq. *(nunc — nunc — vel — aut)* habet, primus Lucretius usurpavit, quem Verg. Liv. pauci scriptores primi p. Chr. n. saec., saepius Apuleïus Gellius Tertullianus secuti sunt; cf. W. A. II 242 sq., Iw. M. II² 462, § 182.

Nuper 1891 *Septimius qui scripsit opuscula nuper*.

Olim 172 *ecu longa fit olim quotiens duae sequuntur*. Ita *olim* a Plauto Verg. Hor. Ov. al. imprimisque in exemplis adferendis usurpatur. In v. 272 Briss. *olim* probabiliter inseruit.

Paene *est ut* = *fere fit ut* 1697; cf. Draeg. II 267.

Palam *est* 405 cum acc. et inf., 860 *quod palam exemplis erit,* 2840 *palam est profecto, quod sit pes anapaestus*. Cf. Krebs s. v. '*Res, aliquid palam est*' sind Ausdrücke des täglichen Lebens = *es ist bekannt*, oft bei Plautus und Terenz und einmal auch bei Cicero (cf. etiam Rebling p. 11). De v. 2840 cf. p. 350 sq. Cf. etiam s. v. *propalam*.

Porro saepe legitur atque plerumque hac vocula ad insequentia transitus fit. Itaque v. 670 sqq., cum dici non possit: *quod* haec hoc modo, illa illo modo fiunt, *ecce rursum discrepare litteras istas vides*, sic distinguo:

ut pius cum dico dius, ocius vel Caelius,
nulla diphthongos quod ante ἰῶτα *praemitti sinit.*
Media porro si locetur U, fit una syllaba.
ecce rursum discrepare litteras istas vides.

Interdum vim paene adversativam habet ut 966, 1308, id quod iam Cic., saepius autem Sall. et Quint. habent; in v. 1347 autem plane pro *vero* vel *sed* poni videtur; cf. Krebs. in h. v.

Postmodo 977; semel a Terentio, tum a Liv. aliisque, saepe post Augustum usurpatur; cf. etiam Krebs in h. v.

Postmodum 721, 2220. Liv. Val. Max. al.

Postquam cum ind. praes. 5; cf. p. 346 h. l.

Pote sine verbo substantivo e coniectura Lachmanni in v. 223 posita e sermone cottidiano sumpta est. Non raro ap. Plaut. Varronemque, ter apud Frontonem, nec non ap. Catull. Cic. Propr. Petr. legitur; cf. Kühner II p. 9, adn. 3, O. Rebling, Versuch einer Charakteristik der röm. Umgangssprache p. 9, Iw. M. II[2] 399 n. 10, Ebert p. 30.

Potis est, quod in v. 88 legitur, a poetis nonnumquam usurpatur.

Potius vocula, quae 511 exstat, saepe ap. Frontonem, semel in Apul. met. invenitur.

Praeterea 1642 et 1988.

Primitus 206. Locis Lucil. 1, Lucr. 2, Priap. 1, Varr. 4, Ciris 1, Val. Max. 1, Petr. 1, Suet. 1, Gell. 2, Tert. 1, Lact. 3, multis Augustini et Amm. Marc. legitur, cf. Neue II[2] p. 670.

Pridem ut Iustinus XII 6, 7 pro *nuper* usurpavisse videtur: 2448 *ut pridem Avitus Alfius libros poeta plusculos conscribit excellentium.*

Primo 1597 *distinguere metra paramus, heroa primo, mox adire iambica;* 1592 autem supervacuum est: *spondeis illum* (heroum versum) *primo natum cernis sex.*

Prius interdum legitur, ubi notio localis quam temporalis aptior erat: 1499 *longas prius locamus, exinde breves subdimus,* 1507 *pes, longas geminat qui prius et iugat minores,* 1535 *tu pone trochaeum prius et mox pariambon.*

Propalam est ut *palam est,* id quod nemo alius fecit, cum acc. et inf. coniunxit: 709 *Q numquam revelli propalam est pronomini,* 2327 *spondeon esse post trochaeum propalam est. Propalam* rarissimum est; exstat ap. Plaut. Cic. Liv.; cf. etiam s. v. *palam.*

Prope. Insolens est: 2892 *illum prope ab ultimo pedem;* sensum localem 198 quoque habet: *sonum prioris ipsi prope sufficit palato.* Pro *paene* adhibetur 2131 *toto prope carmine;* cf. Hand IV 602.

Prorsus notione usitata interdum invenitur.

Puta. *Ut puta* Terentianus, quamquam saepissime ei exempla

adferenda erant, semel usurpavit, in v. 868. Haec verba primum in Priapeis, i. e. aevo Ovidiano, postea ap. Cels. Sen. Quint. al. inveniuntur; cf. Krebs in h. v. et Hand IV 627 sqq. Sed ICtorum usum comparare haud inutile videtur. Hac enim dictione, quae iam apud Iavol. Celsum Pomponium alios ICtos exstat, Gaius et aequales abstinuerunt, sed Papinianus eam in usum revocavit. Apud Ulpianum autem iam 250 fere locis legitur atque etiam a posterioribus frequentatur, ut Terentianum magis Gaio supparem quam aequalem Ulpiano fuisse dicas.

Qua = *quatenus* 1357: *qua pedum natura poscet, satis habebo attingere.* Verg. Ov. Quint. al.

Quam 284 *perpolite quam potestis crebriore limula;* (V. etiam s. v. *aliter*). 1323 *non secus quam si.*

Quamquam cum indic. 2947, cum coniunct. 1068, 1583, 1616, cum part. perf. pass. 388. In his nihil est insolens. Nam coniunctivus iam ap. Nep. Verg. Liv., tum praeter poetas, inter quos Iuvenalis semper coniunctivum habet, apud Val. Max. Curt. Plin. mai. invenitur, saepius quam indicativus ap. Plin. min. Tac. Suet. Frontonem (cf. Ebert p. 37) Min. Tert. Eccl. (quater ap. Gellium, cf. Gorg. p. 43). Cum adiectivis et participiis ap. Liv. Quint. Suet. Plin. Tac. coniungitur; cf. Schmalz ap. Krebs in h. v. et ap. Iw. M. II² 507, § 263 (Draeg. II § 565).

Quando saepe et usitate plerumque adhibetur, sensu temporali ut 779, 973 al., aut causali ut 372 al. *Si quando* 221, 444, 547, 674, 787 multis aliis locis legitur, cf. *si; nisi quando* 1631, 2442. Insolenter pro *aliquando* in v. 979 ponitur; in v. 563 autem vitium latere puto, aut in *longas,* aut in *breves,* aut in utroque verbo; aut versus excidit post 563.

Quandocumque 957 = *quotiens.* Georg. tres locos adfert, Caton. ap. Plin., Hor., Auct. b. Alex.

Quandoque in v. 1699 pro *interdum* vel *aliquando* usurpatur. Hunc usum iam Seneca habet, ante Papinianum ICti raro admiserunt, Papinianus undecim locis, posteriores ICti haud raro. Cf. Leipold p. 18, Krebs in h. v.

Quasi bis coniunctivum regit: 211 et 1753; substantivis additur 186, 1565, 1638. *Quasi si* cum coni. 1458, 1477, 1495, 1539 et 1496 *si* animo supplendum est; *quasi cum* cum ind. 151. Cf. *Tamquam.* Cf. Kalb, R. J. p. 12 sq.: 'Um die Mitte des 2. Jahrh. hatte *quasi* den Rivalen *(tamquam)* auf einen bescheidenen Raum zurückgedrängt. Bei den älteren Juristen ist ein Zurückweichen noch nicht wahrzunehmen, bei Julian halten sich die beiden vollständig das Gleichgewicht, und noch bei Gaius scheint *tamquam* seine Stelle zu behaupten. Es mag dies zum Teil auf die Quelle des Gaius zurückzuführen sein, denn schon bei Pomponius stehen ungefähr 40 *q.* gegen 5 *tq.* In noch geringerem Prozentsatz, teilweise gar nicht, findet sich *tq.* bei den Folgenden. Bezeichnend ist das Ver-

hältnis bei Ulpianus: ungefähr 700 *quasi* und kaum 10 *tq.*' Apud Frontonem (qui sexies *quasi* habet) et Apuleium *tamquam* deest (cf. Becker p. 10), raro etiam ap. Suetonium invenitur. Itaque Terentianum cum in tertio libro, quem aliquanto ante secundum confecit, *tamquam* non ita raro pro portione (5 locis) habeat, in secundo non habeat, eo aevo fuisse existimandum est, quo *tamquam* ex usu evanescere coeperat, i. e. inter a. 150 et 200 p. Chr. n.

Quatenus modum significat (= *quomodo*) 1863: *tunc fiat quatenus addam;* in v. 687 autem significatus notioni causali quam modali propior est: *hanc brevem sed ante nobis pervidendum est syllabam una consonans secuta quatenus longam creet.* De notione causali primum a Lucretio adhibita atque a Capro grammatico (Gr. L. VII 100) commemorata cf. Bücheler in mus. Rhen. XXXVIII 508. Schmalz ap. Iw. M. II² 521, § 294 haec habet: 'Kausales *quatenus* hat zuerst Lucr. II 927, dann Horaz u. Ovid, Val. Max. zuerst in Prosa, hierauf Quint. Plin. min. Tac. Suet. Flor., im Sp. L. die Afrikaner u. a. Nur der späteren Latinität gehört an *quatenus* = *quomodo* bei Tertull. Lact. Hilar. Firm. Mat. u. a.' Sed hanc notionem iam Sextus Pomponius ICtus, qui sub Hadriano et Antonino Pio floruit, habet, cf. W. A. V p. 407.

Que. Non eleganter dictum est: 1022 *divisae finemque caputque tenentes.* De *et que* 2049 et 2548 sq., — *que et* — 1198, — *que* — *que* 1632 cf. supra p. 356 sq. In v. 750 autem: *nuda sed priorque* (sic Sant., *prior quae* M) *quando nec subacta est consonae, que* et *nec* inter se respondent.

Quia, cum *quod* multo rarius inveniatur, plus septuaginta locis legitur. Nam voculae *quod*, cum pro acc. et inf. in sermone cottidiano adhiberetur, vis causalis non sufficere videbatur. Schmalz ap. Iw. M. II² 501, § 254 scriptores primorum a. Chr. et p. Chr. saeculorum *quia* rarissime usurpasse, saepius particulam in Itala demum Tertulliani et apud Ecclesiasticos aliosque posteriorum temporum scriptores inveniri dicit, sed iam Gaius pro *quod* plerumque *quia* usurpavit. (In Antibarbaro Schmalz Landgrafium accuratius de particulis causalibus ap. Reisig-Haase p. 286—291 egisse dicit.)

Quidem in enuntiato priore, quod alterum — plerumque particulis *sed* aut *tamen* incipiens — sequatur, his locis legitur: 208, 240, 474, 593, 779, 828, 893 al.; post relativum 823; *ne* — *quidem* 2365; cf. etiam supra *et* et *nec.* [A. Ludewig 'Quomodo Plin. mai. Sen. phil. Curt. Quint. Corn. Tac. Plin. min. particula *quidem* usi sint' in 'Prager Phil. Stud.' 1891 fasc. III mihi non praesto erat.]

Quin coniunctio subiunctiva: 326, 1163. Augetur et effertur res particulis:

quin 1077;
quin — *etiam* 214 (Cic. aliique);
quin et 415, 520, 1451 (Hor. carm. I 10, 13; Tac. [cf. Krebs in

v. et p. 473], Gell. 17, 16, 4 al.). De v. 212 *nulli dubium est quod* cf. supra p. 350.

Quippe in tetram. troch. semper in initio et enuntiati et versus legitur: 449, 517, 526, 719, 744, 844, 1087, in dactylis non in initio versus, sed primo loco enuntiati 1366, secundo 1646. Participio 588 additur: *et sequens, producta quippe, bina praestet tempora.* Cf. Iw. M. II² 467, § 201: 'Schon bei Sall., namentlich aber bei Liv., Curt. u. Iustin. wird *quippe* häufig gebraucht vollständig synonym mit *enim* und zwar bald an erster, bald an zweiter Stelle des Satzes.'

Quo = *ut eo* cum comparativo: 390 *planius quo fiat istud,* 574 *quo sit planius,* 1729 *subiungam exemplum, quo fiat planius istud,* 2044 *dabo versiculos, quo tibi res magis probetur,* 2893 *mage quo sonus vibretur;*

sine comp.: 233 *quo littera ad aures veniat,* 328 *quo statim discriminentur,* 580 *plena quo sint tempora,* 1299 *quo vitae dubius vel sic vixisse viderer,* 1463 *versum dabo, quo regula nota fiat omnis.*

Cf. Iw. M. II² 530, § 309: '*Quo* .. wird synonym mit *ut* in Finalsätzen schon von Plaut. u. Terenz gebraucht, dann von Sall. u. Ov. und noch im Sp. L. bei Lucif. Mit nachfolgendem Komparativ ist die Konstruktion in allen Zeitaltern üblich.' [In v. 2117 autem Dawesius recte pro *quo* coni. *quod,* cf. 2118.]

Quod = *quia* cum indic. 380, 427, 429, 430, 433, 447, 486, 671, 720, 721, 1902, 2117 (sic recte Daw.; *quo* M, sed cf. v. 2118 *quod*), 2118 aliis locis.

cum coni. 527, cf. supra p. 348 cum adn. 1; = *ut* 677 *hoc enim solum adsequetur, quod digammos non erit.*

De *quod* particula pro acc. et inf. posita cf. p. 350 sq. h. l.

Quoniam in initio sententiae invenitur 999, 1659, 2048, non in initio 87, 128, 224, 1155, 1543.

Quoque = *etiam* vel *iam:* 305; supervacuum est: 721 *et velut QU, C quoque et VU,* 730 *qui quoque similiter,* 1096 *simul quoque,* praeterea 1820 et 2022 cf. infra, pessime autem 1054 additur: *quae tibi cum loquerer septem quoque semisonantes, discrevi* . . Non apte collocatur: 1095 *cui sit quoque tertia longa,* 1820 *libro quoque dixit eodem (= hoc quoque),* 1825 *nec non alias quoque binas (= alias* [adverb.] *binas quoque) et tres superare solere,* 2022 *spondeus erit tertius, idem quoque quartus (= quartus quoque),* 2723 *et supra positi sic quoque sunt duo (= duo quoque),* 2754 *inter quos cecinit quoque carmen tale Catullus.*

Quorsum 249 *Sed quorsum ais hoc discere vel docere refert?* Ter. Cic. Sen. Apul., M. Caes. ap. Frontonem; cf. etiam Krebs in h. v.

Quotiens non raro legitur ut 142, 172 *(olim quotiens),* 199, 220, 792, 1011, 1128, 1207, 1234 (cum fut. pro praes. propter metrum, cf. p. 345 sq.), 1273, 1523, 1837.

Raptim 258, 479, 1383. Lucr., Cic. *(haec scripsi raptim)*, Liv., Curt., Tac., Epit. Livii.

Retro 1069 *sufficiant retro (= retrorsus) vires*, 1079 *correptam retro nequeant* (scil. insequentes consonae) *augere trochaei*, 1416 *ut pedum natura poscet ante vel retro brevem*, 1422 *vel licet vertas retro*, 2347 *iambos . . . ., quos in trochaeos retro vertit creticus.* In his nihil est insolens, cf. lexica.

Retrorsum (retrorsus) 197: *g porro retrorsum coit;* 131 *retrorsus adactam modice teneto linguam*, 246 (*c* et *s*) *retrorsus adactam solidant premuntque vocem;* 604 *nec secus partem retrorsus u dabit, cum consona est.* Ita Hor. et Plin. verbo usi sunt.

Rursum et **rursus** sensu usitato adhibentur, *rursum* 184, 673, 2227 (ante voc.); *rursus* 574 (ante voc.), 1356, 1491, 2010, 2143, 2239 (ante voc.).

Sane 281, 324, 938, 1015, 1348, 1990.

Sat, quae forma numquam poetarum ab usu aliena erat atque etiam ap. Cic. Liv. Quint. legitur, saepius quam *satis* invenitur atque legitima est Terentiano ante copulam posita, cf. 132, 953, 1252, 1628, 1808, 1977, 2679; cum aliis verbis coniungitur: 278 *sat duco meas hactenus occupasse nugas,* et 1403 *sat audis* [et in v. depravato 128 *una quoniam sat habitum est notare forma . . . sat* M praebet, sed cum Terentianus ipse v. 790 ante consonam et *h* litteram syllabam non produci doceat, posteriores versum pessumdederunt; itaque *satis* coni. Sant., *fas* Lachm. scripsit; sed nusquam *fas* sic usurpatur, certe *ius* praeponerem].

Satis 1290 *in vestro satis est examine cautum,* 1357 *satis habebo attingere,* 1645 *nam sex pedes inesse non erit satis,* 2057 *satis probavi.*

[**Scilicet** 860 Lachm. inseruit.]

Secus 604 et 883 *nec secus,* 1323 *non secus quam si.*

Sed *non* 1169, *sed non et* 1630, *sed tamen* 1279 et 2132.

Semel 802 *Q vacare prorsus omni diceremus syllaba, C quod eius invenitur posse subdi pro sono, casus unus ni probaret rectius poni semel, syllabam iunctis duabus cum facit vocalibus.* Cf. Krebs in h. v. '*Semel, einmal* bedeutet auch *einmal für allemal, für immer* . . . Vgl. Quintil. Inst. X 1, 17, Matthiae zu Cic. Deiot. 3, 9, Boot zu Cic. Att. 1, 19, 6'. Georges singulos Cic. Plin. Quint. locos adfert.

Separatim 411. Cic. Caes. Nep. Liv. Gell.

Seu et **sive** particulae[1]):

A. verbum finitum regunt:

I. sibi ipsae repetitae respondent:

383 *sive — sive*, 432 *seu — seu*, 469 *sive — seu*, 875 *seu — seu*, 1016 *seu — sive*, 1030 sq. *seu — seu*, 1349 *seu — sive*, 1379

1) Accurate C. F. W. Mueller de his particulis in progr. gymn. Ioachim., Berolinae 1871, egit.

sive — sive, 1867 *sive — seu.* Modus autem in vv. 1016 et 1867 propter metrum indicativus est, in v. 1349 ind. fut. (*iunget* hic positum est, quod in sequentibus enuntiatis 1350—1353 futura sequuntur), in v. 1379 fut. ex. (*hunc sonabis, sive reges, sive cives dixeris),* reliquis quinque locis coniunctivus; vide etiam exempla s. n. II insequentia. Cf. Schmalz ap. Iw. M. II^2, 527, § 304: 'Der Modus ist der Indikativ; allein schon bei Cic. u. Caes. vereinzelt, mehr bei Liv., Plin. mai. u. Tac., besonders häufig im Sp. L. liest man auch den Konjunktiv, z. B. bei Oros. Claud. Mam. Apoll. Sid. u. a.' Fronto modo indicativum, modo coniunctivum posuit; cf. Ebert p. 42. Cf. etiam supra p. 347 sq.

II. aliis particulis respondent:

482 *auspices cum dico et aurum sive Graecus* αὔριον, 537 *quando dico Iulius sive Iuno sive iustus,* 555 *correptae iugatur una quando consonans sive vocalis,* 619 *Troia sive Maia dicas, peior aut ieiunium,* 946 sqq. *expuli cum dico et exta, seu quis excussam comam dicat aut exlex, et illud: hoc sine exquiram prius: adde et exsortem vel istis simile siquid finxeris,* 1021 sq. *seu pariter iunctae suberuntve in parte sequenti, seu sunt divisae,* 1261 *siqua prior seu posterior correpta locatur,* 1330 sq. *sive praesint alteri, vel sibi cum copulantur,* 1771 *iungat sibi sive supremam os, vel quae prima est in.*

Sed ut melius cognoscas, quam libere Terentianus in particularum usu se gesserit, etiam eos versus addam, in quibus particula *sive* post voculam *si* aliis verbis cessit: 262 *si* ζῆτα *loquor* λάβδανε, νῦ *vel hispidum* ῥῶ, 916 σμῆγμα *si quando aut* σμάραγδον, σμιλίον *vel nominant,* 941 *faxo si dicas vel axis . . .,* 1059 *si quando scutum, spumas vel stamina dico,* 1671 *si plenum absolvet verbi vel nominis instar,* 2312 sqq. *spondeos autem si sequetur creticum . . . vel tertio locetur aut quinto pede.*

Cf. Schmalz l. c.: 'Die Korresponsion *sive — ve* findet sich nur bei Dichtern und ganz spät bei Apoll. Sidon. in Prosa, *sive — vel* ist auf die Dichter Verg., Iuv. u. Spät. beschränkt; *si — ve* lesen wir nur Iuvenal. 3, 297.'

III. Enuntiato condicionali non antecedente pro *vel si* — quae voculae 1996 leguntur — ponuntur: 213 *H littera, sive est nota,* 1000 sq. *ut pedibus sistat sua regula iustis, seu vitium incessit, metri ratione probemus,* 1585 *additur haec gemino non absona fabula metro seu vera res est.*

Cf. Schmalz l. c.: 'Dieser Gebrauch hat sich als ein echt lateinischer aufserordentlich entwickelt und zwar in engeren Grenzen bei Cicero, ausgedehnter bei Liv. Vitruv. Plin. mai. Quint. Tac., ebenso bei Dichtern, so dafs schliefslich ein Satzteil (mea quidem sententia primum participia) ohne eigenes Verb. mit *sive* angefügt wird' e. q. s. Hoc autem ipsum apud Terentianum invenimus. Nam hae particulae

B. singulis vocabulis adduntur atque:

a) participiis:

542 *ante consonam u reperta sola sive in syllaba ... obtinet vocalis usum,* 1320 sqq. *cum brevis duas habebit adiacentes consonas, sive secum, vel sequenti copulatas syllabae, singulae vel dividentur,* 1328 *a et e simul iugatae sive cum illa singulae, quinta quae vocalis est* (sic coni. Lachm., *vel* M).

b) aliis vocabulis:

1333 *tempus unius tenet sive duplum;* fortasse etiam in v. 435 *dico sive fido, longae sunt priores syllabae,* sed quomodo vv. 434 et 435 legendi et explicandi sint, dubito; praeterea in fragm. incerti poetae = 2534 *Inachiae puellae seu bovis ille custos.* Cf. Schmalz l. c. p. 465, § 194: '*Sive* in der Bedeutung „*oder*" (also mit Unterdrückung jeder kondizionalen Färbung) findet sich bei Lucr. u. Lucil., dann bei Cic. . . . . fast allen Dichtern und vielen späteren Prosaikern. Häufig brauchen es Vitruv, Plin. mai. Tac. Aur. Vict. script. hist. Aug. Veget. Macrob.' His Draeg. II² 150 sqq. Quintilianum Gell. Gaium Mart. Capellam addit.

Si particula, quae plerumque coniunctivum regit (cf. supra p. 347 sq.), cum indicativo coniungitur: 170 et 173 (coni. non aptus erat), 262 et 296 (= *cum* vel *quando*), 623 (coniunctivus potentialis hic ineptus est), 764 (ind. aptior est), 944 (= *cum* vel *quando*), 949 (= *cum*), 1094 (= *cum*), 1183 (= *quando*), quae vocula antecedit), 1184 (*est tamen exemplum, vocalis consona si fit.* An *ubi fit?*), 1186 (= *cum*), 1189 (= *cum*), 1192 (= *cum*), 1369 (*si probatis* ἔκτασιν; coniunctivus non aptus est), 1973 (*nemo tamen culpet si sumo exempla novella;* hic praesens pro fut. positum est).

Si quis indicativum regit: 1261;

futurum: 150, (324 in enuntiato primario quoque futurum exstat), 504;

coniunctivum: 152, 1490, 1726, 2288; coni. perf. 948.

Si quando indicativum: 221, 444, 547, 674, 787, 844, 865, 916, 1059, 1433;

futurum: 816, 1612;

coniunctivum: 2114.

si non indicativum: 998 (= *cum non*);

futurum: 1828;

coniunctivum: 690 (*ante quod nobis liquere non potest, si non prius . . . . dispexeris.* Dubitari autem potest, utrum *dispexeris* coni. perf. sit an fut. ex., cf. p. 346), 808, 810.

Vi interrogativa particula *si* bis praedita est, cf. p. 347 huius lib., ubi locos congessi (v. 294 sqq. et v. 2528). Hic particulae *si* usus non ita rarus est apud comicos veteres, Vitruvius in enuntiatis interrogativis hac particula sola usus est, id quod postea magis magisque factum est, cf. linguas Romanicas. Sed etiam Prop. Hor. alii scriptores *si* ita usurpaverunt, cf. Schmalz ap. Iw. M. II², 476, § 215 sub fin. et Draeg. II² p. 736 sqq. De modo indicativo cf. quae p. 346 sq. dixi.

Sicut saepe legitur.

Simul saepe verbis additur, quae sunt: *esse condere habere fieri*, ut 2302 *cretici tres syllabae, bis sex iambi quindecim fiunt simul;* eadem particula saepe verbis *iugandi iungendi ligandi sequendi miscendi* additur. *Simul et* 260 et 1266 legitur; itaque qui versus post v. 264 excidit, fortasse sic suppleri potest: *et* βῆτα *labellis fieri,* μῦ *simul et* πῖ.

Sin 1491.

Siquidem cum indic. 1499, 2126, 2552. Cf. Paucker, Subr. scrut. in h. v.: '*Siquidem* loco causalis coniunctionis interdum iam a Cicerone adhibita deinde magis magisque in notionem causalem transiit. Proprie indicativum regit, sed usu posteriorum omni fere discrimine sublato etiam cum coni. construitur. Exempla coniunctivi quem iam Plin. N. H. 7, 11 habet apud scriptores historiae Augustae satis crebra sunt.' Cf. etiam Schmalz ap. Iw. M. II^2 528, § 306.

Sive, cf. *seu*.

Solum adverbium non legitur, sed adiectivum *solus* hoc munere fungitur, cf. p. 323 h. l.

Statim 328, 420.

Subinde 1) = *posthac* 2190, 2295;
2) = 'souvent' 2549, 2889.

Priore significatu haec vox iam ap. Liv. invenitur, alter, qui est rarior, primum ap. Vell. exstat, in Apul. met. septies. Cf. Iw. M. II^2 p. 554, § 41 et Becker p. 35.

Tam 346 *tam plurima*, cf. p. 323 sq. h. l.; 320 *intentio tam legenti debet esse quam fuit nobis quoque; tam — quam* pro *non minus — quam* etiam apud Gaium et reliquos ICtos invenitur; cf. etiam Iw. M. II^2 502, § 255 sq.

Tamen plerumque non initio enuntiatorum ponitur ut 38, 475, 593, 748, 933, 1518, 1604, 1702, 2208, 2388; *sed tamen* 1279, 2132, *et tamen* 754.

Tamquam particulam in sermone vulgari primi p. Chr. n. saeculi usitatam fuisse e Petronio cognoscitur, sed a multis saec. II. scriptoribus vitari supra in v. *quasi* ostendi; ap. Terentianum 285, 2305, 2501, 2546, 2553 legitur, praeterea 2651: *sunt qui tradiderint, ultima versui tamquam pentametro syllaba dempta sit,* de quo versu supra p. 351 conferas.

Tantum nominibus et praeponitur et postponitur; utrumque apud alios quoque scriptores saepe invenitur.

Tunc saepius ni fallor quam **tum** ponitur, et in enumeratione rerum et cum *quotiens quando cum* alia respondent. Supervacuum est 1735: *si primo spondeus erit, tum dactylus alter.* Particulae *si* ut ap. Plaut. Ter. Cic. al. respondet 1615: *si prior in geminas solvetur longa minores, tum pes recurret dactylo contrarius.* Ergo quod Schmalz ap. Iw. M. II^2 522, § 295 dixit: 'Diese Art der Wechselbeziehung [hat sich bis zur augusteischen Zeit erhalten und] wird

von da ab nur in Formeln, also z. B. Liv. 22, 53, 11 *si sciens fallo, tum me Iuppiter pessimo leto afficiat* gefunden', non plane rectum est. (Krebs in h. v. commemorat, qui viri docti de hac structura egerint.)

Ubique 1438 *his ubique in versibus* (Apul. met. 1, 24 *ubique* cum gen. coniunxit: *itineris ubique*, cf. Krebs in h. v.).

Ultra 2591 *nec exit ultra.*

Umquam et *non* in eodem enuntiato coniunguntur: insolenter 1522: ἀπ' ἐλάccονοc *umquam numero non cohibetur,* more solito 1630 *sed non et sextum pes hic sibi vindicat umquam.*

Usquam 790 *nec ... nec ..., tempus aut ministrat ullum brevibus usquam syllabis.*

Unde ut apud Quint. duodecies fere (cf. Bonnellii ind.) et saepissime apud Gaium (cf. Kalb. R. J. p. 80) causam signat in vv. 379, 736, 901, 1446. Nec non alibi invenitur ut 731. Cf. supra in vv. *hinc* et *inde.*

Undecumque 2846 *vir doctissimus undecumque Varro.* Vox rarissima est, sed sine verbo iam a Plinio in Nat. hist. adhibita.

Usque 1) cum aliis vocabulis coniunctum: 1373 *artis usque ad ista nescium,* 2760 *usque adeo.*

2) per se solum positum est:

642 *perdere U quia sic videtur usque vocalem sonum,* 709 *usque Q numquam revelli propalam est pronomini,* 2658 *usque autem videas hoc procul a fide,* 2788 *usque autem duo commata possis credere rectius.* Cf. Thielmanni dissertationem in W. A. V p. 452. Hic igitur, postquam *usque* voculam per se solam positam saepe apud Plautum et Terentium, sed inde a Cicerone fere solum in carminibus et in sermone vulgari inveniri ostendit, his verbis pergit: 'Auf Rechnung der Volkssprache kommen also die Belege bei Petron, Apuleius und Tertullian, aber bald nach letzterem mufs selbständiges *usque* ausgestorben sein. Denn in der Itala, die doch alle volkstümlichen Elemente in sich aufgenommen hat, suchen wir es vergebens. Auch die Dichter liefern nur spärliche Belege.'

Ut 1) particula comparativa:

a) *ut quisque* 148, 183, 226, 521, 2508, adde 546: *ut prior quaecumque curret;* cf. Iw. M. II² 516, § 280.

b) = *prout* (sine pronomine *quisque*), 1416 *ut pedum natura posceat ante vel retro brevem,* 1588 *ut illos metus iubebat aut propinqua adoria,* 2037 *ut posterior syllaba vel prior soluta est,* 2150 *addidit illa disyllabon ut libet.*

c) = *quantum*: 110 *ut quivero,* 1018 *ut possum,* 1562 *ut quibo,* 2542 *ut quibo.*

d) De *ut puta* cf. supra in v. *puta.*

2) De *ut* consecutivo aut finali non est cur agamus.

3) particula condicionalis:

1738 *claudicat ut repetas,* [2339 *nihil nocebit quisque curret*

ceteris, ut quodque metrum lege condatur sua (? ; *condatur* Briss., *condetur* M)], 2790 *usque autem duo commata possis credere rectius, haec ipsa ut videas dari non hoc quo modo sunt situ, versa sed vice pristina.* Cf. Iw. M. II² 518, § 286.

4) concessiva:

2377 *quadratus ut sit, parte ab ima claudicat;* cf. Iw. M. II² 520, § 291.

Utcumque 93: *utcumque tamen promitur;* etiam apud Curt. Vell. Quint. Tac. Plin. min. Suet. postt. adverbium est; plus vide ap. Krebs in h. v.

Utinam cum coni. imperf. 1251.

Utique 592 ut ap. optimos scriptores usurpatum est, cf. etiam Krebs in h. v.

Utrimque 978, 1344, 1419, 1485, 1954.

Ve 16 locis invenitur, cf. p. 355 sqq. h. l. Pro *et* 2770 legitur: *sed quia distinctio verba dissociat nectitve aliter.* Nec multum v. 1566 distat: Ἄρϲιν *quotiens in geminis* θέϲινϲ *quaeres.*

Vel saepe legitur et propria notione et pro *aut*, ut alterum excludatur, cf. supra p. 355 sqq.

Pro *etiam* his locis: 813 *vel solas,* 1299 *vel sic,* 1604 *attingam vel pauca tamen.*

Pro *exempli causa* 1139: *nil iam spondeo videas superesse relictum. vel tu ruricolae primum decurre Maronis.* Haec notio apud Plautum Terentiumque raro, postea saepius, imprimis ap. Cic. invenitur, cf. Iw. M. II² 465, § 192. *Vel — vel* = *et — et* 2241 sq.: *nam fere Graecis tenax cura est iambi vel novellis comicis vel qui in vetusta praecluent comoedia.* Adde 683, ubi *vel — vel* mediam quandam significationem habet, ut neque *aut — aut,* neque *et — et* sit (= *das eine Mal — das andere Mal*): sic *enim vel prima longa vel prior fit syllaba.* [Non addi potest enuntiatum negativum: 292 *ne parum vel diligenter lucideve expresserim.*] Cf. Iw. M. II² 465, § 192: 'Dagegen läſst sich nicht verkennen, daſs in der späten Latinität, so namentlich auch im afrikanischen Latein, wo *vel* und *et* durcheinander geworfen werden, *vel — vel* vollständig die abgeschwächte Bedeutung von *et — et* angenommen hat; ja bei Cyprian findet sich sogar die Korresponsion *vel — et.*'

Idem autem significatus in *vel* particula semel posita inesse videtur 186: *B littera vel P quasi syllabae videntur;* nec non, si in v. 820 particula *ut* est consecutiva, in voculis *vel* et *aut: nactus ut dicas vel aptus, sanctus aut Neptunius;* item in *ve,* cf. supra in h. v.

Velut haud raro notionibus solitis legitur,

veluti 1944.

Vero et **verum** non paucis locis exstant atque multo saepius quam *autem;* cf. Iw. M. II² 464, § 189. *Verum enim nec* 501, *verum enim . . . non* 815.

Singulas particulas congessimus disposuimus comparavimus nec nulla invenisse nobis videmur, quibus Terentianum saeculo secundo fuisse probetur. Iam cum quaerimus, qualem universe Terentianus in particularum usu se gesserit, quamquam cottidiani sermonis neglegentia usus particulis quae sufficerent supervacua interdum superadiecit, tamen nullo modo audacior Frontone est et ab Apuleio longe superatur. Quod quid ad nostram quaestionem valeat non obscurum est. Lachmanni enim iudicium neutiquam probatur.

Conclusio.

Iam ne singula per totum libellum dispersa repetamus, brevissime finis disputationis faciendus est.

Terentianus igitur, licet pauca vocabula aut solus aut primus praebeat, licet plura inusitato in significatu adhibeat, licet insolenter interdum verba construat, licet verborum collocatione notabilis sit, tamen quibus licentiis Tertullianus Frontonem Gellium Apuleium superat, non utitur. Ut Tertullianus cum in aliis rebus, tum in praepositionum usu multa praeter ea quae supra passim commemoravi praebet, quorum apud Terentianum nec vola nec vestigium apparet. Itaque non paucis annis ante Tertullianum fuisse videtur. Quod optime et cum iis congruit, quae de ICtorum usu particularum attuli et cum testimoniis ut ita dicam historicis et cum sermone, qui maxime Frontonis Gellii Apulei tempora sapit. Hoc autem eo maioris momenti est, quo magis Terentianus ut ipsius testimonio (vv. 294 sqq.) constat, sermonem cottidianum sequitur, in quo licentiae postea divulgatae multo prius quam in sermone exculto conspiciuntur. Tamen Frontone maior natu esse non potest, id quod cum aliis rebus — ut arte metrica — tum hac re probatur, quod Frontonis studia antiquitatis quamvis modice imitatur. At ad Gellii et Apulei aequalem omnia quadrant. Nam neque cum iis facit qui verba nimis prisca — ut Gellius — frequentent (cf. v. 75), neque cum iis qui omnia rhetorum dictionibus tropis schematis exornanda esse existiment (cf. 301 sqq.). Itaque cum 'laudem ab incultu ferre' studeat, iis temporibus, quibus rhetorum studia omnium hominum et alienorum et faventium animos occuparent scripsisse videtur. Atque cum nemo maiore tum favore floruerit quam Apuleius, fortasse in hunc ipsum aut eius aequales illa verba dixit.

Ergo ut certam aetatem nominemus, qua Terentianum fuisse probabile sit, librum secundum, in quo illa verba leguntur, sub finem Marci Aurelii Philosophi, tertium initio imperii eiusdem Terentianum scripsisse, natum esse sub Hadriano imperatore statuamus.

Index locorum tractatorum.

Erratum.

P. 317 v. 8 ab imo l. *citare io Bacchae.*

Jahrbücher für classische Philologie. Herausgegeben von Dr. Alfred Fleckeisen, Professor in Dresden. XXII. Supplementband. 2. (Schluss)-Heft. [III u. S. 335—772.] gr. 8. geh. n. ℳ 12.—

Inhalt: De Isocratis orationibus iudicialibus quaestiones selectae. scripsit *Engelbertus Drerup.* — Quaestiones Iuvenalianae. scripsit *Ernestus Lommatzsch.* — Zur Überlieferungs-Geschichte von Ciceros epistularum libri XVI. Von *L. Gurlitt.* — Die historische Schriftstellerei des C. Asinius Pollio. Zugleich ein Beitrag zur Quellenforschung über Appian und Plutarch. Von Dr. phil. *Ernst Kornemann.* — Die Therapeuten und die Philonische Schrift vom beschaulichen Leben. Von *Paul Wendland.*

——— XXIII. Supplementband. 1. Heft. [289 S.] gr. 8. geh. n. ℳ 8.—

Inhalt: Leonidas von Tarent. Von *Johannes Geffcken.* — Callimachi Aetiorum librum I prolegomenis . . . instruxit *Eugenius Dittrich.* — De Homeri auctoritate in cotidiana Romanorum vita. scripsit *Ioannes Tolkiehn.*

Immisch, Otto, philologische Studien zu Plato. Erstes Heft. Axiochus. [III u. 99 S.] gr. 8. geh. n. ℳ 3.—

Lexikon, ausführliches, der griechischen und römischen Mythologie. Im Verein mit vielen Gelehrten herausgegeben von W. H. Roscher. Mit zahlreichen Abbildungen. 33. Lieferung. (Memnon — Mercurius.) [Sp. 2657—2816.] Lex.-8. geh. n. ℳ 2.—

Lommatzsch, E., quaestiones Iuvenalianae. Insunt glossae Pithoeanae interlineares nunc primum editae. [134 S.] gr. 8. geh. n. ℳ 4.40.

Lykophron's Alexandra. Griechisch und deutsch mit erklärenden Anmerkungen von Dr. Carl von Holzinger. gr. 8. geh. n. ℳ 15.—

Meyer, Paul, der römische Konkubinat (nach den Rechtsquellen und den Inschriften). [VII u. 196 S.] gr. 8. geh. n. ℳ 5.—

Miscellanea Tironiana. Aus dem Codex Vaticanus Latinus Reginae Christinae 846 [fol. 99—114] herausgegeben von Wilhelm Schmitz. [VIII u. 79 S.] Mit 32 Tafeln in Lichtdruck. 4. In Mappe n. ℳ 20.—

Pindari carmina prolegomenis et commentariis instructa edidit W. Christ. [CXXX u. 466 S.] gr. 8. geh. n. ℳ 14.—

Platos Gesetze. Darstellung des Inhalts. Von Constantin Ritter. [IX u. 162 S.] 8. geh. n. ℳ 3.20.

——— Kommentar zum griechischen Text. Von Constantin Ritter. [IX u. 415 S.] 8. geh. n. ℳ 10.—

Preuss, Siegmund, index Aeschineus. [190 S.] 8. geh. n. ℳ 6.40.

Reinach, Théodore, Mithradates Eupator, König von Pontos. Mit Berichtigungen und Nachträgen des Verfassers ins Deutsche übertragen von A. Goetz. Mit 3 Karten und 4 Heliogravüren. [XVIII u. 488 S.] gr. 8. geh. n. ℳ 12.—

Schneider, Arthur, das alte Rom. Entwickelung seines Grundrisses und Geschichte seiner Bauten. Auf 12 Karten und 14 Tafeln dargestellt und mit einem Plane der heutigen Stadt sowie einer stadtgeschichtlichen Einleitung herausgegeben von A. S. [12 Seiten Text, 12 Karten, 14 Tafeln mit 287 Abbildungen und 1 Plan auf Karton.] Quer-Folio 45×56 cm. Geschmackvoll u. dauerhaft geb. n. ℳ 16.—

Tolkiehn, Ioannes, de Homeri auctoritate in cotidiana Romanorum vita. [II u. 67 S.] gr. 8. geh. n. ℳ 2.60.

Vergili Maronis, P., opera apparatu critico in artius contracto iterum rec. Otto Ribbeck. Vol. I. Bucolica et Georgica. [X u. 208 S.] gr. 8. geh. n. ℳ 5.—

——— ——— Voll. II. III. Aeneidos libri I—XII. [VI, III u. S. 209—840.] gr. 8. geh. je n. ℳ 7.20.

——— ——— Vol. IV. Appendix Vergiliana. [VI u. 101 S.] gr. 8. geh. n. ℳ 3.—

Verhandlungen der dreiundvierzigsten Versammlung deutscher Philologen und Schulmänner in Köln vom 24. bis 28. September 1895. Im Auftrage des Präsidiums redigiert von E. Oehley, Köln. [248 S.] gr. 8. geh. n. ℳ 6.—

Wendland, Paul, die Therapeuten und die Philonische Schrift vom beschaulichen Leben. Ein Beitrag zur Geschichte des hellenistischen Judentums. [80 S.] gr. 8. geh. n. ℳ 2.80.